AUTHOR:

ZIEMANN, FRANZ

TITLE:

DE ANATHEMATIS GRAECIS

PLACE:

REGIMONTI

DATE:

1885

Master Negative #

92-80846-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Dissertation

885
Z8 v.1 Ziemann, Franz 1860-
De anathematis Graecis
Kiel 1885

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10/1/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE ANATHEMATIS GRAECIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ALBERTINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS

DIE XIII. MENS. APRIL. A. MDCCCLXXXV

HORA XII

PUBLICE DEFENDET AUCTOR

FRANCISCUS ZIEMANN

REGIMONTANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

PAULUS KAREHNKE, CAND. PHIL.

ERDMANNUS SCHWARZ, CAND. PHIL.



REGIMONTI BORUSSORUM.

MDCCCLXXXV.

TYPIS LEUPOLDIANIS.

εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ᾽ ὁρᾷ.
in magnis et voluisse sat est.
(Propert. II, 10, 6).

Gustavo Hirschfeld

sacrum.

Certe mireris neminem adhuc exstitisse, qui de anathematis[1]) Graecis[2]) quaestionem faceret continuam. Pauca modo hic illic inveni; enumero libros hos:

P. Kunz, sacra et profara ἀναθημάτων historia (1729) p. 12 sqq.

J. Beckmann, Beiträge zur Geschichte der Erfindungen II (1788) p. 364—391.

J. B. Facius, Collectaneen zur Griechischen und Römischen Alterthumskunde (1811) p. 198—208.

W. Wachsmuth, Hellenische Alterthumskunde II^2 (1846) p. 558. 559.

C. Bötticher, Andeutungen über das Heilige und Profane in der Baukunst der Hellenen (1846) p. 5—9.

F. H. Schöne, Schulreden (1847) p. 86—94.

C. Fr. Hermann, Lehrbuch der griechischen Antiquitäten II^2 (1858) p. 26 adn. 3; 107 adn. 8; 135 adn. 20; 140 adn. 1—5.

---

1) Vocabulum „anathema“ apud Latinos nisi novissimis temporibus non invenitur (cf. Prud. Psych. 240). Latini proprie dicebant „donarium“. Quamquam hoc vocabulum de thesauris quoque, quin etiam de templis legitur (Serv. Verg. Georg. III, 533; Aen. II, 269; XII, 199).

2) De Romanis quidem nonnullis saeculis ante J. Ph. Tomasinus in libro, qui inscribitur „de donariis ac tabellis votivis“ (1654), egit. Neque autem ullo modo dissertatio nobis recentioribus potest satisfacere. Sed proprius in hoc inquirere et longum est et a themate nostro alienum.

Th. Panofka, Von einer Anzahl antiker Weihgeschenke und den Beziehungen ihrer Geber zu den Orten ihrer Bestimmung (Ac. soc. Berol. 1859 p. 125—192).

Ch. Th. Newton, on greek inscriptions (= essays of Art and Archaeology 1880 p. 94—209), qui liber in linguam Germanam transscriptus est ab Imelmannio Berolinensi. Die griechischen Inschriften (1881) — cf. p. 79—85.

C. Bötticher, Die Tektonik der Hellenen II^2 (1881) pp. 372—374, 438—454, 459—462.

Alia opera suo loco commemorabuntur. Mirum est, quod in encyclopaedicis qui vocantur libris tam pauca et exigua de quaestione nostra leguntur. Quod vero Daremberg et Saglio[1]) fasciculum eum, in quo vocabulum „donarium“ tractabitur, nondum publici fecerunt iuris, dolore commovemur gravi.

Nos a recentioribus ad veteres fontes ipsos vertamus necesse est atque materiam collectam in ordinem quendam redigamus denuoque quasi integram tractemus. Fontes autem sunt et omnes Graecorum scriptores, imprimis Pausanias epigrammataque in Anthologia Graeca[2]) collecta, et dedicatorii qui vocantur tituli et varia monumenta.

Et hoc quidem loco e quaestionibus multis quae ad anathemata Graeca pertinent unam modo persequar. Quaestio autem est, qui anathematum Graecorum fuerit usus.

Totam materiam dividi in capita duo.

Prius caput committetur quaestioni de iis anathematis, quae certis diebus dabantur diis quorumque numerus longiore aut breviore spatio intermisso augebatur. Haec nominaverim anathemata ordinaria. In altero capite donaria semel modo diis data tractabo. Et horum nomen sit anathemata extraordinaria.

1) Dictionnaire des antiquités grecques et romaines tom. I 1877 (Paris).

2) Cap. VI ἐπι γράμματα ἀναθηματικά

Utrique capiti dispositionem ita subiungam, ut anathemata publica et privata separatim vocentur in quaestionem.

I. Agitur de anathematis ordinariis.

1. de publicis.

Anathematum quae ordinaria a me nominantur publica nisi cum reditu dierum festorum coniuncta non inveni. Perlustremus singula Graeciae loca.

Athenis inde a Pisistrati aetate quod docuit A. Mommsenius[1]) — pro Panathenaeis Magnis, quae quinto quoque anno agebantur, a virginibus in urbe vestis (πέπλος)[2]) texebatur et in Minervae templo deponebatur. Postea pro annuis quoque Panathenaeis vestis, non a virginibus in urbe, sed in templo Minervae ipso magistra sacerdote ab arrhephoris[3]) quae vocantur duabus, quibus nomen erat Ἐργαστῖναι[4]), texebatur[5]). Vestem Panathenaeorum Magnorum illam usque ad saeculum quartum p. Chr. esse dedicatam, testis est Himerius.

Amyclis mulieres Lacedaemoniae quotannis Apollini vestem (χιτῶνα) in aedificio, quod ipsum vocabatur Χιτών, texebant (Paus. III, 16, 2). Quem morem pro Hyacinthiis aut Carneis valuisse, verisimile mihi videtur (cf. Hermann l. l. § 53).

Elide collegium sedecim mulierum Eliacarum quinto quoque anno Junoni Olympiacae vestem (πέπλον) in domo quadam texebant[6]).

1) Heortologie p. 185.

2) Michaelis, Parthenon p. 328.

3) omnino erant numero quattuor.

4) Hesych. v. Ἐργαστῖναι. Cf. Mitth. A. J. VIII p. 57—66.

5) Cf. A. Mommsen l. l. p. 119 et 188; Bötticher Tekt.^{2} p. 569.

6) Paus. V, 16, 2; VI 24, 10.

De Delo insula titulis a Th. Homolle in lucem prolatis et editis plurima cognovimus; cf. imprimis Bull. de corr. hell. VI = 1882 pp. 29 — 54; 85—167. Annuis anfractibus vasa viginti duo ab iis qui thesaurorum curam susceperant in Apollinis templum deferebantur. Ji enim qui thesauro profano praeerant i. e. ταμίαι viginti vasa tradebant, qui thesauro sacro praeerant i. e. ἱεροποιοὶ in duobus tantum acquiescebant. Haec duo deponebantur eo die quo Εὐτύχεια et Φιλαδέλφεια agebantur, qua de causa iis nomina sunt indita Εὐτύχειος et Φιλαδέλφειος. Quaeritur, num viginti quoque vasa illa certis diebus festis in templi tutelam abierint. Verisimile hoc per se esse videtur, si istam consuetudinem hieropoeis propriam comparaveris. Accedit, quod vasa, de quibus agitur, nonnullis locis (cf. l. l. p. 144) cum nominibus feriarum coniuncta inveniuntur.

Sed coniectura sola, donaria quoque civitatum et regum externorum festis diebus deo esse data, possumus consequi. In quorum numero[1]) Cos et Rhodus insulae per longum temporis spatium a legatis votivis i. e. θεωροῖς pateram anniversariam in Apollineo deponendam curabant[2]). Hoc feriis Apollinis Delii illis notissimis factum esse, verisimillimum mihi videtur. Sequuntur reges Aegypti et Macedoniae[3]), quorum primum anathemata anniversaria dedicasse Ptolemaeum I. Lagi filium, Homolle argumentando docuit. Regis consilium quo spectaverit est manifestum. Delus insula, quae diu gloria caruerat, tunc ad summam auctoritatem florescens in omnium ore ac sermone versabatur; nam ceteras Cycladas secum duce coniunxerat[4]). Itaque ille gratia benevolentiaque insulae sacrae carere se

1) De Alexandria urbe cf. l. l. p. 165 adn. 5.
2) Cf. tituli l. l. p. 29 — 54 typis expressi lineas 31, 35, 37, 38, 39, 94, 95, 107, 109, 162.
3) Rarius reges Syriae leguntur (p. 158 adn. 6).
4) l. l. p. 157; cf. Bullet. IV. p. 320—334.

non posse arbitratus est. Qua de causa eius dona non tam pietate erga deum quam consilio, ut ita dicam, politico sunt orta. Idem dicendum est de iis, qui post illum Delum adulantes re vera insulam in potestate sua habebant. Erant autem Antigonus Gonatas Macedonum rex (p. 160 adn. 1) et Ptolemaeus III Euergetes auctoritate opibusque summi. Omnibus regibus erat consuetudo ea, ut plerumque per puellas (Δηλιάδας) dona, quae erant paterae (lin. 15), raro coronae (lin. 9), hieropoeis tradenda curarent. Atque a vero me haud procul abesse iudico, si conicio illas legationes iis diebus ipsis, qui nomen suum a regibus mutuati erant, deo dedisse dona.

2. de privatis.

Aeque ac publica anathemata festis diebus privata dedicabantur. Cuius moris exempla inveniuntur locis his.

Athenis choregi[1]), quotiescunque choro sive cyclico sive comico sive tragico Dionysiis aut Thargeliis e certaminibus evaserant victores, tripodem tribui suae datum[2]) publice collocandum curabant. Collocabantur autem tripodes in Dionysio, Dionysiis victoria, in Pythio[3]), Thargeliis victoria parta, aut, si quidem ea re choregi delectabantur, in tripodum quae vocabatur via[4]). id quod interdum super templo sumptu proprio dedicato[5]) factum est.

Nota sunt nobis donaria choregorum horum:
Eurymenis (C. J. G. I, 212: ante Euclidem).
Niciae (Plut. Nic. 3).
Call . . . (Calliae? — C. J. A. I, 421 = C. J. G. 1036).

1) Böckh. Staatsh. I^2 p. 600—609; Daremberg et Saglio v. χορηγία.
2) Lys. ἀπολ. δωροδ. 38.
3) Suid. v. πύθιον.
4) Paus. I, 20, 1.
5) Cf. Lysicratis monumentum illud notissimum.

Aristocratis (C. J. A. I, 422: c. 407 a. Chr.).
Aristidis (C. J. G. I, 211; Plut. Arist. 1).
Menetelis (C. J. G. I, 217: c. 341).
Lysicratis (C. J. G. I, 221: 334).
Euagidis (C. J. G. I, 222: 326).
Lysiclis (C. J. G. I, 223: 323).
Thrasylli (C. J. G. I, 224; Paus. I, 21, 4: 320).

Thrasylli exemplum est novissimum, quantum scio, quo civem aliquem munere choregi functum esse illustratur. Post hunc titulum cum magna pateat lacuna, de tripodibus usque ad annos 293/2 a. Chr. dedicatis in incerto relinquimur. His autem annis attribuendum est exemplum[1]) antiquissimum, quo teste populus, qui choregi munus susceperat[2]), agonothetam quendam officii vicarium creavit. Id tamen iam ante annos 293/2 factum esse, U. Koehlerius[3]) mihi demonstrasse videtur, eumque secutus lectionum duarum illarum terminum statuo esse annum 309. Recentioris autem lectionis exemplum notissimum extat in titt. C. J. G. I, 225. 226, ubi Thrasycles, Thrasylli modo commemorati filius, post duas victorias eodem anno (271) partas tripodes duos in patris monumento ponens legitur. Temporis spatium, per quod utraque lectio invenitur, saecula V, IV, III a. Chr. complectitur. Contra saecula II et I a. Chr. — semper de Athenis solis agitur — titulos choregicos nobis tradiderunt nullos. Rursus inveniuntur saeculo I p. Chr. nonnulli iique lectione posteriore exarati i. e., ut repetam, cive nominato chorego. Hactenus de ea re. Hanc hoc loco a me tractatam esse dico ea de causa, quod post unamquamque victoriam tripodes a victoribus solebant dedicari.

Eadem consuetudo valuit in certaminibus ob honorem Apollinis Triopeii actis. Notum est Halicarnassum urbem,

1) C. J. A. II, 302.
2) ὁ δῆμος ἐχορήγει.
3) Mitth. J. A. III = 1878 p. 229—241.

quod Agasicles victor tripodem in illius dei templo non posuerat, eiectam esse e sex illarum urbium foedere[1]).

Thebis mos erat, ut is puer, qui Daphnephoriis lauream carptam referebat domum, in Apollinis Ismenii templo tripodem aureum dedicaret. Qua de causa Pindarus[2]) id templum thesaurum aureorum tripodum nominat. Illum autem morem iam aetati mythicae usurpari scriptum videmus. Herculis enim loco, qui nimis fuerit puer, Amphitruo pater fuisse dicitur dedicans[3]).

Deli in insula anathemata temporibus certis recurrentia ab hominibus privatis et domesticis et externis dedicata esse exemplis illustratum video. In domesticorum numero primum refero Ocyneidas et Thyestadas tribus, quae in Apollineo unam[4]) aut duas[5]) pateras quotannis videntur posuisse[6]). Quae utrum donatae sint ex usuris donationis cuiusdam gentiliciae an pecunia semper denuo collata, non constat. Conicienti mihi, occasionem dedicandi fluxisse e consuetudine illa notissima Apollinem Delium celebrandi, verum haud procul videtur abesse. Deinde hic commemoro stesilea[7]) quae vocantur vasa. Quorum genera discernenda sunt duo, cum modo Stesileus ipse dedicans nominatur modo non nominatur. Si Stesileus ipse est dedicans, interdum[8]) munus eius qui illud vas hieropoeis tradidit (παρέδωκεν) attribuitur senatui (βουλῇ). Id quia interdum modo, non semper actum sit, estne mirum? An quid? Stesileus si vas quoddam dedicabat, quare non ipse hieropoeis tradere solebat? In hanc quaestionem ut accuratius

1) Herod. I, 144.
2) Pyth. XI, 4; cf. Herod. V, 59.
3) Anthol. Palat. VI, 6; Paus. IX, 10, 4. Cf. C. O. Mueller, Orchomenos p. 397.
4) Bullet. VI p. 35 lin. 37.
5) lin. 54.
6) p. 143.
7) στησίλεια ποτήρια sive σκάφια.
8) lin. 127. 131.

inquiram, fieri non potest. Res igitur quasi quae non disceptanda sit in medio relinquitur. Alterum genus vasa stesilea complectitur ea, in quibus Stesileus ipse dedicans non nominatur. Quae Homolle (l. l. p. 113) a senatu dedicata esse coniecit. Neque hoc tamen ullo tituli loco tam perlucide dicitur, ut dubitatio quaeque tolli posse videatur. Nos illi potius sententiae favemus atque in ea plus probabilitatis inesse arbitramur, quam doctissimus ille vir etsi attulit[1]) tamen ipse non probavit. Stesileus enim testamento reliquerat pecuniam, e cuius usuris senatus tale quotannis vas, quale vivus per longum temporis spatium ipse Apollini donavisset, mortui nomine dedicaret. Qua de causa haec quoque vasa vocabantur stesilea. Tali igitur modo, ut breviter repetam, genera vasum stesileorum duo differunt, ut prius a Stesileo ipso cum viveret, alterum fideicommissarii ratione a senatu dedicaretur. Hoc autem intercedere discrimen, ea quoque re confirmatur, quod vasa prioris generis pondere antecellunt alteri. Quomodo id exponendum sit, nescio. Senatusne fortasse aliquam pecuniae partem defraudabat? Addo denique, utrumque genus festis diebus, id quod ex additamento *ἐπιστατοῦντος τοῦ δεῖνος*[2]) mihi elucere videtur, esse dedicatum.

Tum sequuntur vasa *μικύθεια*[3]), *φιλωνίδεια*[4]) *γοργίεια*[5]), quae omnia ut a certis hominibus dedicabantur, ita pro largitoris nomine nomen suum acceperunt. Haec quoque vasa festis diebus in templo deposita esse, mea est et, ut arbitror, haud parum certa coniectura.

Hactemus de domesticorum anathematis. Externis ex hominibus dedicantibus vocandi sunt duo, Hermias[6]) quidam, nesiarchus Ptolemaei I, et Nicolas[1]) Aetolius, Antigoni Gonatae socius. Qui per complures annos continuos donaria dedicabant Apollini. Id quod feriis, ab hoc Antigoneis, Ptolemaeis ab illo, factum esse mihi persuasum est. Conferantur ea quae supra[2]) disserui.

---

1) l. l. p. 112.
2) lin. 112. — lin. 44. 47. 51. — cf. l. l. p. 148.
3) *σκάφιον* sive *ἀργυρὶς* sive *κύλιξ*: lin. 146, 173.
4) *σκάφιον*: lin. 99, 144.
5) *φιάλη*: lin. 110, 143.
6) Bullet. VI p. 159.

In huius capitis fine breviter, quae de anathematis ordinariis et publicis et privatis exposui, complecti mihi liceat. Anathemata ordinaria compluribus Graeciae locis — Amyclis, Athenis, Deli, Olympiae, Thebis — invenimus dedicata. Haec autem, quae enumeravi, loca sola, non alia fuisse, fortasse nullam aliam causam nisi traditionem, ut ita dicam, nostram potest habere. Occasionem dedicandi plerumque, ne dicam semper, praebere solebant dies festi aut anniversarii aut spatio longiore interposito redeuntes. Ad dierum festorum modum accommodata erant dona. Haec enim erant vestes statuis deorum textae, vasa varia, coronae, tripodes, i. e. dona ad cultum sive usus sive ornamenti solius causa pertinentia.

II. Agitur de anathematis extraordinariis.

1. de publicis.

In anathematis extraordinariis enumerandis et describendis aliam atque antea viam ineam oportere mihi videtur. Nam cum anathemata ordinaria ita comparata invenerimus, ut et civitates et singuli semper una eademque dedicandi occasione uterentur, extraordinaria variis inter se differunt occasionibus.

Et in priore quidem parte aeque ac supra anathemata publica persequar.

---

1) p. 160 adn. 5.
2) p. 4.

1. Primo consideremus loco ea anathemata, quorum auctores e calamitate quadam se expediverant. Ex huius generis exemplis donaria ad bella bene gesta pertinentia videntur mihi esse longe gravissima. Haec pro temporum ratione afferam.

Argivi et Polynices dux, priusquam Thebas proficiscerentur, in templo quodam Argivo statuas Martis Venerisque dicuntur posuisse (Paus. II, 25, 1). Hoc exemplum — aeque ac alia quae postea suo loco enumerabo — dissimulanter quidem eius esse aetatis videtur, quae fabulis obtegitur. Id tamen hoc loco inserendum putavi et ut lectori accuratius quaerenti exempla quamvis plurima praesto sint et quod persuasum mihi habeo, id genus anathemata ea aetate, quae historiae fide comprobatur, esse facta. Nam cum veteres, unde originem multorum templorum statuarum rerum cuiusvis generis sumerent, in incerto essent, ex hac ambiguitate ita se expediverunt, ut auctores usurparent mythicae illius aetatis homines. Neque silentio praetereo, anathema primo loco enumeratum non tam ad bellum confectum quam conficiendum referri. Sed cum alio loco afferri non possint, ut arbitror, id genus donaria hic commemorentur.

Dores Achaeis, imprimis Amyclaeis victis prope ad Spartam fanum Jovis *Τροπαίου* narrantur condidisse[1])

Annis 743—724 i. e. aetati primi belli Messenii anathemata attribuuntur haec. Victoria ab oraculo Delphico iis qui priores ad Jovis Ithomatae aram posuissent centum tripodes promissa, hoc fecisse dicuntur astu Spartiatae[2]). Ad idem bellum bere confectum alii, numero tres, tripodes ab iisdem Apollini Amyclaeo dedicati pertinent[3]). Omnia quae ad quaestionem de tribus his tripodibus habitam spec-

1) Paus. III, 12, 9.
2) Paus. IV, 12, 7—9.
3) Paus. III, 18, 8; IV, 14, 2.

tant, legas velim apud Brunnium[1]), Welckerum[2]), Overbeckium[3]).

Accedo ad secundum bellum Messenium: 685 — 668. Bello vix incepto Aristomenes clam clipeum quendam Lacedaemonium in Minervae *Χαλκιοίκου* templo, quod erat Spartae, dicitur suspendisse[4]) et postea suum ipsius clipeum, quem in pugna amissum recuperaverat, Lebadiae in antro Trophoniano deposuisse[5]) Arcades in Iovis *Λυκαίου* templo dedicaverunt columnam ad memoriam Aristocratis proditoris retinendam[6])

Ante annum 598 Megarenses, postquam cum Atheniensibus de Salamine insula feliciter pugnaverunt, in urbe sua rostrum aheneum in Iovis templum detulerunt[7]). Idque ante annum 598 illum factum esse, conicio inde quia ab hoc insula in Atheniensium possessione erat perpetua.

c. 550. Hoc loco inserendum puto thesaurum, quem Megarenses e praeda Corinthia aedificaverunt Olympiae. Eum enim medio saeculo sexto esse attribuendum, omnes fere recentiores consentiunt[8]). Antea, cum Pausaniae[9]) auctoritas nimis valeret, thesaurum viri docti existimaverunt exstructum esse iam multo remotiore aetate: velut C. O. Muellerus[10]) annum 930 statuendum putavit. Brunnium[11]) autem primum Pausaniae sententiam abnuentem enucleasse veram aetatem notum est. Propius in hoc inquirere mihi non in animo est; respicias velim dissertationem A. Boetti-

1) Geschichte der griechischen Künstler I p. 87.
2) Kleine Schriften III p. 534 et 544.
3) Geschichte der Griechischen Plastik I³ p. 112. 124.
4) Paus. IV, 16, 7.
5) Paus. IV, 32, 5; IX. 39, 14.
6) IV, 22, 7.
7) I, 40, 5.
8) cf. A. Bötticher, Olympia p. 208.
9) VI, 19, 12—14.
10) Dorier I p. 89.
11) I p. 46.

cheri[1]) illam praeclarissimam. Id modo repeto, in thesauro fuisse sculptum Herculem cum Acheloo pugnantem, quod opus Dontae adscribendum esse docuit Pausanias.

Inter annos 510 — 505 quadriga ahenea, cuius basis titulo praedita reperta est, in Atheniensium arce Boeotiis et Chalcidensibus victis est dedicata[2]) Eodem tempore ibidem Athenienses vincula, quibus illi colligati erant, suspendisse videntur[3]).

500—490[4]). Phocenses devictis Thessalis Apollini donaverunt Delphico statuas et Herculis Apollinisque de tripode luctantium et heroum domesticorum et Daiphantae Rhoei ducum Telliaeque vatis. Item post eandem victoriam duo clipeorum hostilium milia Delphos, totidem miserunt Abas. Quae anathemata non deinceps uno leguntur loco, sed e multis locis sunt collata. Loci autem sunt Herod. VIII, 27; Paus. X, 1, 8. 10; 13, 6, 7. Bellum, de quo hic agitur, cum E. Löwy[5]) sequor auctorem, idem esse puto, quod a Pausania alio loco[6]) commemoratur. Hic enim de Iovis statua a Thessalis Phocensium victoribus Olympiae dedicata agitur. Quidni in illo bello semel Thessali commodum quoddam sibi potuerunt comparare?

c. 500. Incolae Chersonesi Thracicae et Miltiades dux, oppido quodam expugnato, Amaltheae quod dicitur cornu Olympiam, ubi Pausanias[7]) in Sicyoniorum thesauro id vidisse se contendit, miserunt.

Accedimus ad bellorum Persicorum aetatem, de cuius donariis conferantur quae E. Curtius[8]) multisante annis disseruit.

---

1) cf. p. 40 adn. 1.
2) Herod. V, 77; C. J. A. I, 334.
3) Herod. l. l.
4) Herod. VIII, 27; M. Duncker, Gesch. d. Alt. VI[5] p. 255.
5) Unters. z. gr. Künstlerg. (1883) p. 5.
6) V, 24, 1.
7) VI, 19, 6.
8) Nachrichten v. d. Univ. z. Göttingen 1861 p. 365—374.

493 — 490. Mandrocles ille, qui pontem in Bosporo faciendum curavit, tabulam dedicavit a se ipso pictam, in qua transitus regis Persarum conspiciebatur, in Iunonis Samiae aede[1]).

490. Hoc anno torquetem aureum[2]) attribuo a Datide duce Apollini Delio consecratum[3])

Eidem tempori, postquam Persae ab Atheniensibus et Plataeensibus ad Marathonem victi sunt, donaria a veteribus adscribuntur multa. Quamquam compluria hac falso fruuntur gloria. Neque autem omnia donaria ad victoriam illam relata hic volo commemorare, cum Brunnius[4]) ea enumerasse et perquisivisse iusto modo mihi videatur. Id solum dico. Anathematis iis quae ad pugnam Marathoniam immerito referuntur praetermissis, restant quinque, quorum duo, Panaeni tabula in poecile illa[5]) et statuae Miltiadis heroumque decem Delphis dedicatae[6]), compluribus annis post pugnam orta esse videntur. Attamen cetera tria quin statim post victoriam dedicata esse possint, nihil obstat. Sunt autem haec: fanum Panis Athenis[7]), ibidem Dianae *Εὐκλείας* templum[8]), Delphis thesaurus[9]).

480. Post res ad Thermopylas gestas Spartiatae fanum Maronis Alpheique, qui cum Leonida fortiter pugnavissent, prope ad urbem condiderunt[10]).

480. Victoria ad Artemisium parta Amphictyones

---

1) Herod. IV, 88.
2) *στρεπτὸν χρυσοῦν.*
3) Bullet. VI p. 152.
4) I p. 162—164.
5) Paus. I, 15, 3; H. Köhler, Ges. Schr. VI p. 216, qui tabulam non ante annum 456 ortam esse contendit. Picta autem conspiciebatur pugna Marathonia.
6) Paus. X, 10, 1, 2; E. Curtius l. l. p. 369—371.
7) Herod. VI, 105.
8) Paus. I, 14, 5; Plut. Arist. 20.
9) Paus. X, 11, 5.
10) Paus. III, 12, 9,

Delphis statuas Scyllidis Hydnaeque filiae, qui ut erant sub aequor mersi navibus hostium multa paraverant incommoda, dedicaverunt[1]) Lycomedes trierarchus, qui primus navem quandam hostilem cepit, Athenis eius signum[2]) Apollini Δαφνηφόρῳ consecravit[3]).

480. Victoriam ad Salaminiam donaria referuntur haec. Athenienses Salamine in insula fanum Cychrei herois[4]), qui pugnantibus sibi venisset auxilio, condiderunt. Eidem victoriae porticum quoque illam Delphis ab Atheniensibus exstructam attribuerim, quamquam Pausanias[5]) eam ad Phormionis victoriam anno 429 partam, Haussoullier[6]) ad victoriam anni 460 Aegineticam referri volunt. Causae autem mihi sunt duae: quod et tituli nostra aetate reperti palaeographia[7]) ad remotius illud tempus accommodata mihi esse videtur et anathemata[8]), quae optimo iure victoriis a Pausania et Haussoullier vindicatis possunt attribui, mihi occurrerunt. Atque hae victoriae pro Salaminia parum splendore gloriaque praestiterunt quam quae pluribus et amplioribus donariis illustrarentur. Venio ad anathema Atheniensium tertium. Est fanum, quod erat in pago Melites, Dianae Ἀριστοβούλης. Hoc quamquam Plutarchus[9]) a Themistocle consecratum esse tradidit, ex aerario publico solvi est verisimilius. Hactenus de Atheniensium donariis. Aeginetae[10]) in Apollinis Delphici templo dedicaverunt tres stellas aureas ad malum adnexas. Corinthiae[11]) triremis

1) Paus. X, 19, 1, 2.
2) παράσημα.
3) Plut. Them. 15.
4) Paus. I, 36, 1.
5) X, 11, 6.
6) Bullet. V = 1880 p. 1—19. — Cf. Mitth. 1884 p. 264—270.
7) Alio loco accuratius hoc inquirere in animo habeo.
8) de quibus suo agetur loco.
9) Them. 22.
10) Herod. VIII, 122.
11) Herod. VIII, 11; Plut. Them. 15; id. de malign. 38.

cuiusdam milites arma hostium in Latonae templo suspenderunt. Universorum denique Graecorum anathemata[1]) sunt haec: Delphis statua quaedam[2]), naves hostium singulae Salamine et Sunii et in Isthmo.

479. Post pugnam Plataeensem Athenienses[3]) Masistii loricam, Mardonii ensem, Xerxis sellam in Erechtheo deposuerunt. Iidem Delphis condiderunt thesaurum[4]) ubi Persarum et Thebanorum clipei conspiciebantur suspensi. A Tegeatis[5]) in Minervae Ἀλέας templo praesepium aheneum, a Carystiis et Plataeensibus[6]) Delphis dedicati sunt singuli tauri ahenei. E huius victoriae[7]) praeda illud quoque Minervae Ἀρείας templum a Plataeensibus conditum est[8]); in hoc templo erant statuae Minervae Arimnestique ducis et tabulae duae, quarum in ura Septem illos Thebas proficiscentes, in altera Ulixem procos ad inferos compellentem pinxerat Polygnotus[9]). Denique Euchidae quoque, qui postquam ignem Delphis arcessivit statim est mortuus, statua paullo post pugnam hanc a Plataeensibus in Dianae

1) Herod. VIII, 121.
2) Apollinis videtur fuisse. Hanc statuam esse eandem iudico, quam Graeci e praeda ad Salamina et Artemisium comparata Delphis collocandam curaverunt. Paus. X, 14, 5.
3) Herod. IX, 82; Demosth. in Timocr. p. 741; Paus. I, 27, 1.
4) Paus. X, 19, 4.
5) Herod. IX, 70.
6) Paus. X, 15, 1; 16, 6.
7) Quamquam Pausanias (IX, 4, 1, 2) id ad pugnam retulit Marathoniam.
8) Thuc. III, 68; Plut. Arist. 20.
9) Curtius l. l. p. 368: „Wir finden hier eine ganz ähnliche Benutzung der Legenden wie in der Blüthezeit der italienischen Kunst, als Rafael die Vertreibung der Barbaren aus Italien in der Austreibung Heliodors aus dem Tempel, die Rettung des Papstes durch die Befreiung Petri aus dem Gefängnisse, die Niederlage der Franzosen im Zuge Attilas darstellte. . . Es sind zwei Niederlagen solcher, welche, wie die Perser, in fremdes Eigenthum widerrechtlich eingedrungen sind und die Strafe ihres Uebermuths erleiden".

Εὐκλείας templo[1]) dedicata mihi esse videtur. Ut autem Athenienses Tegeatae Carystii Plataeenses, ita Lacedaemonii et universa Graecorum gens, haud immemores victoriae Salaminiae, gratos se erga deos praestitisse traduntur. Primo commemoramus loco porticum illam Persicam Spartae exstructam, de qua Pausanias[2]) nil retulit nisi hoc unum, eam aedificatam esse ἀπὸ λαφύρων τῶν Μηδικῶν. In hoc porticu stabant statuae Mardonii, aliorum Persarum, Artemisiae reginae. Utrum autem hae statuae simul cum porticu an posteriore, cum Lacedaemonii a Persarum partibus starent, aetate sculptae sint, in medio relinquitur. Quamquam sententia postremo loco proposita videtur esse verisimilior. Deinde ad cunctorum anathemata Graecorum venio. Sunt haec: Olympiae statua Iovis[3]), in Isthmo Neptuni[4]) Delphis aheneus tripus ille notissimus[5]) prope ad Plataeas ara Iovis Ἐλευθερίου[6]).

478. Byzantio expugnato Pausanias rex pateram[7]) in Neptuni templo ad Pontum sito deposuit.

469. Athenienses, postquam ad Eurymedontem vicerunt, diis, cum Delphis[8]) palmam aheneam statuamque Minervae dedicaverunt, gratiam retulerunt.

---

1) Plut. Arist. 20.

2) III, 11, 3. Cf. Curt. l. l. p. 366: „Es ist in verschiedenen Zeiten daran gebaut worden und nicht zu bestimmen, wann und wie dieses merkwürdige Gebäude, der einzige Prachtbau von nationaler Bedeutung, den wir in Sparta kennen, ausgeführt worden ist. Es lässt sich nicht einmal mit Bestimmtheit sagen, ob es ein den Göttern geweihtes Gebäude war".

3) Herod. IX, 81; Paus. V, 23, 1—3.

4) Herod. l. l.

5) Herod. l. l.; VIII, 82; Curt. l. l. p. 374—390.

6) Plut. Arist. 19.

7) Herod. IV, 81; M. Duncker Sitzb. B. A. 1883 p. 1125—1143.

8) Paus. X, 15, 4. Cf. Curt. l. l. p. 371: „Es ist ein arges Missverständniss, wenn man sich hier die Göttin auf einer niedergeworfenen Palme stehend gedacht hat; es war vielmehr der hochaufgeschossene mit Datteln behängte Baum das Symbol des fruchtreichen Siegesglücks

Hactenus de donariis bellorum Persicorum iis, quorum origo ad certum proelium potest referri. Restant alia quae eidem aetati attribuere non dubitaverim: sed quae ad proelia referenda sint quaerens in incerto relinquor.

Huc pertinet primum tripus ille aheneus, cuius basis erant Persae marmorei. Eum Pausania (I, 18, 8) auctore Athenis in Olympieo fuisse constat[1]). Deinde commemoro fanum, quod erat Athenis, Erechthei[2]), statuam Dianae Σωτείρας Megarae[3]) positam, statuam, quam ab Epidauriis[4]) dedicata est Delphis, Apollinis.

Haec sunt, quantum scio, anathemata omnia quae ad bellorum Persicorum aetatem spectant. Eaque bella quantopere hominum animos moverint, quantum iniecerint terrorem, quanta victoriae admiratione totam Graeciam impleverint, ex ea re satis potest intellegi, quod et cuncti Graeci et civitates singulae tot statuas tabulas thesauros templa dona cuiusvis generis eaque amplissima et pretiosissima, ut quam gratissimos erga deos se praestarent, dedicaverunt.

Iam in ceteris anathematis enumerandis pergam.

480. Carthaginiensibus ad Himeram victis a Gelone Delphos statua Victoriae tripusque missi sunt[5]). Idem Olympiae condidit thesaurum, in quo loricas linteas, numero tres, fuisse Pausanias[6]) contendit. Alia quoque spolia antea ibi collocata esse, verisimile mihi videtur. Denique ad victoriam illam referuntur templa Cereris Proserpinaeque

---

und die unter dem Baume ruhig stehende Athene mit der Eule bezeichnet den Segen der weisheitspendenden Göttin, als die Quelle des Siegesmuths und der Siegeskraft der Athener.

1) Addo, a Furtwaenglero (act. Berol. Ac. 1879 p. 13 adn. 2) hunc tripodem, quippe cuius Persae e marmore Phrygio sculpti fuerint, aetati Hadriani attribui. Quae sententia rectare sit, nescio.

2) Herod. VII, 189; Paus. I, 19, 6; Ael. v. h. XII, 61.

3) Paus. I, 40, 2. 3.

4) Paus. X, 15, 1.

5) Athen. VI p. 231 f.

6) VI, 19, 7.

tria, quorum erant Syracusis[1]) duo, unum in Aetna monte[2]). Si quis miretur, anathematum tam multorum unam victoriam fuisse causam, id sibi fingat, tyrannum illum id studuisse, ut et memoriam victoriae rebus quam diuturnissimis in perpetuum propagaret et divitias opesque ostenderet: neque enim illa donaria pietatis solius monumenta mihi esse videntur.

474. Hoc, si Diodori[3]) fides est habenda, anno Hiero, Gelonis frater, Tyrrhenis ad Cumas victis Delphis[4]) Victoriae statuam et tripodem collocandos curavit. Ex eadem victoria Olympiam ab eo complures missas esse galeas persuasum mihi habeo: quot fuerint, non constat. Effossae sunt tres, quarum in una titulus ille notissimus[5]) legitur. Si autem Böckhius galeas in Geloorum thesauro[6]) fuisse existimavit, equidem Carthaginiensium praeferam thesaurum, qui paullo ante a fratre illius condita[7]) sit.

473. Tarentini Messapiis superatis feminis equisque aheneis[8]) Apollinem Delphicum donaverunt. Ad idem fere tempus Peucetii quoque et Iapygii victi sunt a Tarentinis. Cui victoriae series complurium statuarum, quae erant Delphis, a Pausania[9]) vindicatur.

472 — 469. Intra hos annos ab Eleis templum Iovis Olympici exstrui coeptum est. Confectum autem exstabat[10]) iam anno 457. Hodie enim viri docti abnuerunt sententiam eorum qui, Pausaniae[11]) auctoritate freti, templum c. anno 570 incohatum per centum annos omissum esse statuerunt.

1) Diod. XI, 26.
2) l. l.
3) XI, 51.
4) Athen. VI p. 231 f.; 232 b.
5) C. J. G. I, 16 = Röhl n. 510.
6) cf. Paus. VI, 19, 15; A. Boetticher, Ol. p. 202.
7) cf. supra p. 59.
8) Paus. X, 10, 6.
9) X, 13, 10.
10) cf. A. Boett. l. l. p. 247.
11) V, 10, 2.

464. Priusquam tertium bellum Messenium inciperetur, Lacedaemonii, quasi victoriam sibi vindicantes, Iovis statuam[1]) dedicaverunt Olympiae. Nam quamquam Pausanias[2]) ad secundum bellum referri eam vult, tamen hodie, titulo dedicatorio[3]) effosso, ut statuamus saeculum V compellimur.

460. Athenienses, Peloponnesiis ad Aeginam victis, anathemate quodam[4]) Iovem donaverunt Dodonaeum[5]).

457. Atheniensibus sociisque ad Tanagram superatis Lacedaemonii Olympiae in Iovis templo deposuerunt clipeum[6]).

440—420. Intra hos annos Tarentini Olympiae arma Thurinorum[7]) hostium, Methanii Lacedaemoniorum[8]) videntur dedicasse.

429. Phormio Atheniensis, postquam ad Naupactum vicit, unam navium hostilium[9]) Antirrhii in Neptuni templo dedicavit. Athenienses ex eadem victoria statuam illius in arce[10]) videntur mihi collocasse.

424. Hoc anno a tota Naupacti civitate Iuppiter Olympius Victoria Paeonii illa praeclarissima[11]) donatus est. Ad illas enim Sphacteriae res gestas, secutus e viris doctis Weilium[12]) A. Boetticherum[13]) alios, equidem statuam volo

1) Paus. V, 24, 3.
2) l. l.
3) Diar. arch. 1876 p. 49; A. Boett. p. 319.
4) quid sit dedicatum, perspici non potest.
5) Diar. arch. 1878 p. 71 — 73; Carapanos; Dodone p. 47; Röhl n. 5.
6) Paus. V, 10, 4. Legas velim diar. arch. 1882 p. 179.
7) Diar. arch. 1879 p. 149: 1881 p. 83.
8) l. l. 1875 p. 181. Una restat hasta.
9) Thuc. II, 54.
10) Paus. I, 23, 10.
11) Paus. V, 26, 1; Röhl n. 348.
12) Diar. arch. 1876 p. 229.
13) Olympia p. 320—325.

relatam. Quamquam alias ab aliis[1]) sententias propositas esse haud ignoro. Ad eandem victoriam merito Victoria in arce Atheniensi[2]) posita et scuta Lacedaemoniorum in poecile[3]) suspensa referuntur.

Ante annum 422 Acanthii, victis Atheniensibus, thesaurum[4]) condiderunt Delphis.

421. Ab Atheniensibus in poecile clipei Scionaerum hostium[5]) suspensi sunt.

Ad idem fere tempus[6]) dedicata sunt Olympiae anathemata haec: Victoria a Mantinensibus[7]), ab Agrigentinis orantes pueri[8]), Iuppiter a Clitoriis[9]), ab Achaeis[10]) et Apolloniatis[11]) complexus plastica arte effecti.

Paullo post annum 413 Delphis a Syracusanis thesaurus[12]) coeptus est aedificari. Neque autem postea equus aheneus[13]), quem Argivi, Lacedaemoniis ad Thyream victis, in templum miserunt Delphicum, est statuendus.

407. Lysander, victoria ad Notium parta, Spartae in porticu iuxta Minervae Ἐργάνης templum exstructa dedicavit Victoriae statuam[14])

405. Idem, postquam ad Αἰγὸς ποταμοὺς vicit, aureas coronas singulas[15]) Athenas et Delum misit. Ex eadem vic-

1) Curt. diar. arch. 1875 p. 178—181; Schubring l. l. 1877 p. 59—67.
2) Paus. IV, 36, 6.
3) l. l. I, 15, 4.
4) Plut. Lys. 1. 18; id Pyth. or. 14; cf. Thuc. V, 10.
5) Thuc. IV, 130; V, 32; Diod. XII, 72, 76; Paus. I, 15, 4.
6) Cf. E. Löwy l. l. p. 6.
7) Paus V, 26, 6.
8) V, 25, 5.
9) V, 23, 7.
10) V, 25, 8—10: conspiciebantur novem illi heroes, Nestore praesente sortientes, quis cum Hectore certamen initurus sit.
11) V, 22. 3: Achilles cum Memnone pugnans.
12) Paus. X, 11, 5.
13) X, 9, 12; cf. Thuc. VI, 95.
14) Paus. III, 17, 4.
15) Plut. Lyr. 18; Böckh. Staatsh. II² p. 251.

toria Apollini donavit Delphico triremem[1]) ex auro eboreque factam, quam sibi dederat Cyrus. Si quis haec dona in privatorum numero potius quam publicorum haberi vult, ei nil opponam. Sed certe aliud publicis est attribuendum Namque Pausania[2]) auctore a Spartiatis duodeviginti statuae et deorum et hominum — in his nomino Lysandrum Abantem Hermonem — Delphis dedicatae sunt. Tripodes quoque duo Amyclis[3]) positi huc spectant.

397. Pharax coronam dedicavit Apollini Delio[4]).

394. Conon, postquam ad Cnidum vicit, in Piraeo[5]) fanum condidit Veneris, Iovis Σωτῆρος Athenis[6]).

393. Hoc, si L. Urlichsium[7]) sequimur, anno Argivi ob honorem victoriae ad Oenoen a Lacedaemoniis reportatae Delphis Septem illos adversus Thebas proficiscentes Epigonosque sculptos[8]) dedicaverunt. Utrum autem ob eandem victoriam Athenienses in poecile tabulam illam, de qua Pausanias[9]) verba dixit, suspenderint annon, diiudicare nequeo.

372. Hoc fere anno[10]) Tegeatae, Lacedaemoniis victis, statuas et deorum et heroum domesticorum, numero omnino novem, basi coniunctas[11]) miserunt Delphos. Cui Tegeatarum — aut potius cunctorum Arcadum — victoriae attribuerim vincula quoque Lacedaemoniorum illa, quae Tegeae in Minervae Ἀλέας templo[12]) ostendebantur. Attamen — id dicere mihi liceat — Marpessae feminae arma[13]), in eodem

1) Plut. l. l.
2) X, 9, 7—10.
3) Paus III, 18, 8.
4) Bullet. VI p. 153.
5) Paus. I, 1, 3.
6) Isocr. Euag. 57.
7) N. Jahrb. f. Phil. u. Päd. 69 = 1854 p. 380. Cf. Brunn. I p. 294.
8) Paus. X, 10, 3. 4.
9) I, 15, 1.
10) Brunn. I p. 284. Cf. Löwy p. 6.
11) Paus. X, 9, 5.
12) VIII, 47, 2.
13) l. l.

templo suspensa, ad antiquiorem[1]) quandam occasionem referenda mihi esse videntur.

371. Thebani post pugnam Leuctricam Delphis aedificaverunt thesaurum[2]). Ad idem tempus cum Messene urbs condita esset, deus Delphicus ab Argivis[3]) serie statuarum, quibus heroes domestici effieti sunt, donatus est. Huc quoque spectant Metroa Messenes et Megalopoli aedificata et Epaminondae statua in Asclepieo[4]) eius urbis quam attuli posteriorem dedicata.

364. Elei, Arcadibus superatis, Olympiae dedicaverunt fanum[5]), in quo Eilithyia dea Sosipolisque daemon una colebantur, et Elide cellam Sosipolidis solius[6]); in hac cella extabat tabula, in qua pictus erat daemon. Ad eandem causam recentissime Purgoldius[7]) alia quoque donaria usurpavit. Primum huc refert statuam pueruli cuiusdam sedentis illam, quam Pausanias[8]) a Boëtho Carthaginiensi caelatam et e Philippeo in Heraeum translatam esse narrat. Ille igitur vir doctus puerulum fuisse Sosipolidem coniecit. Sed cum Philippeum conditum sit a Philippo rege[9]) post pugnam ad Chaeroneam commissam aut potius ab Alexandro Magno[10]), num statuam illam iam anno 364 sculptam esse potest explanari? Quare hanc Purgoldii coniecturam abnuerim. Deinde huic victoriae fanum statuamque Tyches, quae erant Elide[11]), attribuit. Neque autem ullum argumentum huic

1) VII aut. VI saec.; cf. M. Duncker V^5 p. 270.
2) Paus. X, 11, 5.
3) X, 10, 5.
4) IV, 31, 10.
5) VI, 20, 5.
6) Paus. VI, 25, 4.
7) In Dissertatione „Olympische Weihgeschenke", quae legitur in „Festschr. f. E. Curtius z. s. 70. Geburtst." (1884.)
8) V, 17, 4.
9) V, 20, 10.
10) A. Boett. Ol. p. 343. 351 sqq.
11) Paus. VI, 25, 4.

sententiae est impedimento. Tum Mercurii statuam illam nuper effossam, quam a Praxitele esse sculptam constat, huc refert. Idne sit rectum, diudicandi viri huius rei peritiores[1]) ad suum referant arbitrium. Quarto loco Iovis statuam affero Olympiae sub divo collocatam. Hanc Pausanias[2]) ab Eleis post Arcades victos dedicatam esse narrat. Quae victoria utrum eadem ac ea, de qua agitur, fuerit an alia, disceptari mihi non posse videtur. Denique Purgoldius Metroum, quod erat Olympiae, sibi vindicat, meritone nescio. Neque autem coniecturam ab A. Boettichero[3]) propositam puto esse praetermittendam. Coniecit enim, Metroum illud a Ptolemaeo Philadelpho et Arsinoë sorore esse dedicatum.

346. Phocensibus bello sacro superatis, ab Amphictyonibus[4]) Delphis duae Apollinis statuae, statua Herculis dedicatae sunt a Thebanis[5])

335. Alexander Magnus e praeda Thebana in Apollinis templum[6]) quod erat Cymis, multas lucernas in candelabro pendentes misit; idem

334 victoria ad Granicum flumen parta, Athenas trecentos clipeos[7]). Hic commemorare mihi liceat, Dii in oppido statuas equestres basi coniunctas, numero viginti quinque[8]), ad idem tempus collocatas esse; hae statuae potius honorariis quam anathematis sunt attribuendae. Sed anathematum loco lorica illa et iacula, quae Pausania[9])

1) Cf. Boett. l. l. p. 327.
2) V, 24, 3.
3) l. l. p. 374 et 375: „Er ein Hypochonder mit mystischen Neigungen, sie nichts Besseres wünschend als Vergessen der Vergangenheit und Versenken in ein geheimnissvolles Traumleben."
4) Paus. X, 15, 1, 7.
5) X, 13, 6.
6) Plin. h. n. XXXIV, 8.
7) Plut. Alex. 16; cf. Arr. anab. I, 16, 7.
8) Plut. l. l.; Arr. l. l.
9) Paus. VIII, 28, 1.

auctore Gortyne erant in Asclepieo, habentur. Haec autem dona post pugnam ad Granicum commissam eo missa esse, mea est coniectura.

330. Equites Orchomenii, ab Alexandro domum remissi, anathemate quodam[1]) donaverunt Iovem Σωτῆρα[2]), Thespiaci, quibus acciderat idem, Iovem tripode[3])

326. Alexander, postquam ad Hydaspem flumen vicit, elephantum Pori regis in Solis templum, quod erat Taxilae[4]), ducendum curavit.

322. Bello Lamico confecto Athenienses in templo Iovi et Minervae communi, quod erat in Piraeo, Arcesilai tabulam, in qua Leosthenes filiique cum hostibus pugnantes conspiciebantur[5]), suspenderunt.

300. Eleiatae, postquam urbem a Cassandro obsessam liberavit Olympiodorus, Delphis leonem dedicaverunt aheneum[6]). Eadem de causa illius statuam loco eodem[7]) posuisse mihi videntur. Cuius altera statua compluribus annis post — 288 — Athenis in arce[8]), tertia in prytaneo[9]) collocata est Tabulae quoque honore est affectus. Eleuside enim eum pictum fuisse in Cereris templo[10]) nobis traditum est. Ad easdem res anno 288 gestas Leocriti, qui in pugna ceciderat, clipeus in porticu Iovis Ἐλευθερίου[11]) suspensus est referendus.

1) quid fuerit, perspici non potest.
2) Bullet. III p. 453.
3) l. l. p. 457. 458; Anthol. Pal. VI, 334.
4) Philostr. vit. Apoll. II, 12.
5) Paus. I, 1, 3; 25, 4.
6) X, 18, 7.
7) I, 26, 3.
8) Paus. I, 26, 3.
9) I, 25, 2. Prytaneum non tam locum profanum quam sacrum, quodammodo, ut ita dicam, Vestae templum, persuasum mihi habeo. Cf. G. Hagemann, de prytaneo (Diss. Berol. 1880).
10) Paus. I, 26, 3; Plin. h. n. XXXV, 40, 29.
11) Paus. I, 26, 2.

280/79. Aetoli, Gallis et Acarnanibus victis, Delphis dedicaverunt statuas permultas, tropaeum, arma hostium; statuae autem sunt et ducum et deorum et feminae cuiusdam, quae videtur Aetolia fuisse[1]). Ex iisdem proeliis Atheniensium quoque et Phocensium, qui a parte Aetolorum stabant, dona duxerunt originem. Athenienses Cydiae cuiusdam, qui fortiter pugnans ceciderat, clipeum in Iovis Ἐλευθερίου porticu[2]) suspenderunt, dedicaverunt Aleximachi ducis statuam Delphis Phocenses[3]).

274. Pyrrhus rex, postquam Macedones et Gallos vicit, horum arma quasi victoriae tributum in Minervae Ἰτωνίας templum[4]), illorum in Iovis Dodonaei aedem[5]) misit. Duobus annis post Pyrrhi, postquam cecidit, clipeus, ut suspicor auctoribus Argivis liberatis, Argis ad templi Cereris ianua[6]) suspensus conspiciebatur.

Venio ad donaria ea quae reges Pergami Gallis identidem victis dicaverunt. Hoc loco ut accuratius in hoc inquiram fieri non potest. Respicias velim volumina quae Conze Humann alii viri doctissimi de iis quae Pergami in lucem prodierunt iuris fecerunt publici[7]). Donaria autem, quae huc spectant, erant et Pergami et Athenis. Huc misit Attalus I quattuor illas statuarum series[8]), Gigantomachiam, ut ita dicam, Amazonomachiam, Galatomachiam, Marathomachiam, et in eadem urbe Attalus II porticum[9]) exstruendam curavit. Pergami erant opera longe plurima

1) Paus. X, 15, 2; 16, 4. 6; 18, 7; 19, 4; 20, 4; 22, 3. 4.
2) X, 21, 5. 6.
3) X, 23, 3.
4) Paus. I, 13, 2. 3; Plut. Pyrrh. 20.
5) Paus. I, 13, 3. Hic in titulo v. 3 recipio coniecturam a P. Foucartio (Bullet. VI p. 167) propositam: Ναΐῳ sive Νάῳ pro ναῷ.
6) Paus. II, 21, 4.
7) Overbeckii (Gr. Plast. II³) cupiam rationem habeas.
8) Paus. I, 25, 2. De statuis autem, non ectypis agi A. Michaelis (Mitth. II p. 5—15) optime mihi ostendisse videtur.
9) Adler, Zeit. f. Bauwesen 1875 p. 17 sqq.

omniaque in arce. Satis mihi est, multis statuis, quarum bases titulis[1]) praeditae repertae sunt, praetermissis, attulisse aram Iovis illam praeclarissimam, quam dicaverat Eumenes II, et porticum ab Attalo II Iovi Minervaequae Νικηφόρῳ consecratam. Uno denique verbo commemorare mihi liceat, in Europae Museis statuas, quae sine ulla dubitatione ad huius aetatis opera possunt reduci, inveniri[2]). Atque duae gloria fruuntur summa: Gallus moriens, qui extat in Museo Capitolino, et Arria Paetusque, qui complexus cernitur in Villa Ludovisi. Plura verba de Pergamenorum donariis non faciam.

206. Mantineae incolae tropaeum consecraverunt Neptuno[3]).

146. Mummius ex Achaeorum et Corinthiorum praeda ad templum Iovis Olympici clipeos viginti unum[4]) suspendit et intus dei statuam[5]) dedicavit.

31. Postremum affero exemplum Veneris Συμμαχίας templum[6]), quod Mantinenses, socii Romanorum, victoria ad Actium parta condiderunt.

Hactenus de anathematis ad bella spectantibus. In iis enumerandis me non eum contenderim fuisse, qui omnia nominarem. Neque enim meum expleturo opusculum erit difficile, hic illic nonnulla intercalare exempla. Sed eorum quae maximi sunt momenti, non me ullum[7]) effugisse existimo. Respiciamus nunc ad exempla enumerata. Mos post proelium quodque feliciter peractum deo cuidam aliquid

---

1) Cf. L. v. Urlichs, Pergamenische Inschriften (Wuerzb. 1883).

2) Cf. Brunn, annali 1870 p. 292 sqq; O. Benndorf, Mittheil. I p. 167—171.

3) Paus. VIII, 10, 8.

4) V, 10, 5.

5) V, 24, 4.

6) VIII, 9, 6.

7) Exceptis anathematis nonnullis, quibus certam adscribere aetatem non possum. Huc refero, ut uno utar exemplo, thesaurum a Cuidiis Delphis conditum (Paus. X, 11, 5).

publice dedicandi apud Graecos ab antiquissimis temporibus multa per saecula valuit usque ad Romanorum principatum. Neque autem ultra annum 31 a. Chr. in hac re progrediendum mihi esse videbatur. Quod vero ceteris saeculum quintum praestat, e rerum natura potest intellegi. Illo enim saeculo et Graeci bellis gravissimis, velut erat Persicum et Peloponnesiacum, vexabantur et artes summum ad florem perveniebant. Quaestio nimium procul esse non videtur, omninone saeculo quinto donaria orta sint plurima. Attamen hoc nondum loco eam disceptare possum. Longe autem plurima donaria tum demum, cum proelium bene peractum sit[1]), data esse quamquam concedendum est, tamen negari non potest, esse aliqua quae in proelio suscipiendo ut auxilium peteretur a diis oblata sunt. Quod attinet ad loca ad quae comportabantur donaria ubive condebantur, ab iis quae loco sacro omnibus Graecis communi, velut erat Delphi, Olympia, Dodona, ea internosci debent, quae in victorum urbe[2]) collocabantur. Id pro certo est habendum, anathemata ubi dedicarentur praescriptum esse nunquam locum. Accedo ad alias quaestiones. Quaerenti, quibusnam diis imprimis dari solerent anathemata, ea res mira non esse videbitur, quod Iuppiter Apollo Minerva palmam semper acceperunt. Id quoque facile potest explicari, Neptuno aliquid post pugnam navalem et heroum[3]) suo cuique loco esse dedicatum. Sed graviore afficimur admiratione, quod Marti, vero et iusto ut ita dicam pugnarum patrono, nul-

---

1) Cf. Curt. loco saepius laudato p. 363: „Die Errichtung des Weihgeschenks war gewissermassen eine Vervollständigung des Sieges, eine öffentliche Anerkennung desselben als eines bedeutenden und rühmlichen."

2) Megarenses, ut unum repetam exemplum, rostrum aheneum in Jovis templo, quod erat in urbe sua, deposuerunt.

3) Cf. Jul. Wassner, de heroum apud Graecos cultu (dissert. Kiel. 1883).

lum[1]) unquam anathema ob belli occasionem datum est. Quin etiam extat titulus, in quo victoria nominatur ἔργον Ἄρηος: nihilominus tripus, de quo agitur, Iovi Ἐλευθερίῳ[2]) consecratur. Denique cuiusnam generis fuerint anathemata consideremus. Occurrerunt nobis res et vilissimae et pretiosissimae: clipei, loricae, galeae, arma, ut complectar, cuiusvis speciei, coronae, tripodes, tabulae pictae, statuae, opera maioris amplitudinis sculpta, thesauri, templa. Accuratius in hanc rem inquisivit E. Curtius[3]), qui genera anathematum statuit quattuor; respicias velim huius viri doctissimi dissertationem. Equidem hoc loco de operibus sculptis et pictis tabulis, quatenus pugnas nobis ante oculos proposuerunt, pauca addam. Operum sculptorum dedicatio cum vetustior sit, priorem obtineat locum. Ex his antiquissimum quod attulimus exemplum c. anno 550 a. Chr. debuit attribui: Hercules et Achelous conspiciebantur pugnantes. Atque pari modo cetera opera res e mythorum aetate depromptas exhibent, cum dii heroesque modo acriter pugnant modo parant proelium modo placidos quietosque se praebent. Interdum cum diis heroibusque viri historiae fide noti inveniuntur commixti: lectorem admoneo Miltiadis heroumque Atticorum et Lysandri aliorum deorumque illorum. Ars igitur statuaria (id mihi dicere licebit) quotiescumque agitur de symplegmatis[4]) in personis mythicis

---

1) Illa enim Martis statua supra initio allata hic revera vindicari non potest.

2) Plut. Arist. 19. — Simile quoddam valet de anathemate privato: intellego Hegelochum Atheniensem, qui statuam suam tanquam μνῆμα πόνων Ἄρηος dedicat Minervae (C. J. A. I, 374).

3) l. l. p. 363 sqq.

4) Pro vocabulo Germano „Gruppe" Latini habent non vocabulum: „symplegma", quod apud Plinium (h. n. XXXVI, 5, 24. 35) extat,

fingendis libentissime versabatur. Postremum id genus exemplum tertium saeculum nobis praebuit: intellego Attali donaria Athenis dicata. Eodem tempore prima pugnarum historicarum exempla invenimus: sunt donaria quae idem Attalus loco eodem curavit collocanda. Nunc autem, ut erat propositum, ad tabulas pictas. E quibus vetustissima, in qua res revera gestae, non mythicae ante oculos nobis propositae sint, contraria est operibus illis statuariis. Sed paullo post hanc tabulam, i. e. annos 493—490, iam tabulae, quae pugnas proponunt mythicas, inveniuntur: sunt illae templi Minervae Ἀρείας tabulae, quas anno attribui 479. Et posterioribus temporibus pugnae historicae et mythicae in tabulis pictae sunt passim ita ut de certo temporis termino dici non possit.

Hactenus agitur de anathematis ad bella pertinentibus. Continuemus anathemata, quorum auctores e calamitate quadam se expediverant, enumeranda. Ad tyrannos expulsos exempla spectant duo. Athenienses post annum 510 a. Chr. in arce leaenam[1]), ab Amphicrate sculptam, ad memoriam Leänae, amicae Aristogitonis, servandam collocaverunt. Aetate multo recentior[2]) est statua Cylonis, quam Olympiae dedicaverunt Aetoli[3]) De hoc viro, qui Eleos ab Aristotimo tyranno liberaverat, conferas velim Bullet. IV p. 43—46. Plura numero sunt anathemata propter luem restinc-

---

e lingua Graeca est depromptum. Supra nonnunquam vocabulis „series" et „complexus" usus sum. „Syntagma", quod apud Koeppium „de Gigantomachiae etc. usu" 1883 p. 5 inveni, mihi non placet.

1) Paus. I, 23, 2; Plut. de garrul. VIII; Plin. h. n. XXXIV, 72. Sed statuae Harmodii et Aristogitonis illae praeclarissimae erant honorariae.

2) c. anno 240 a. Chr. attribuenda est.

3) Paus. VI, 14, 11.

tam dicata. Cleonaei[1]) haedum Delphis aheneum, statuam Mercurii *Κριοφόρου* domi dedicaverunt Tanagraei[2]). Quodsi quin duo haec exempla recte nobis tradita sint dubitari non potest, certe mirum esse videtur, si ad unam eandemque luem, gravissimam illam Atheniensem, magnum donariorum numerum referri a veteribus scriptum videmus. Donaria autem sunt haec: Athenis Hercules *Ἀλεξίκακος*, ab Agelada sculptus[3]), et Apollo *Ἀλεξίκακος*, Calamis opus[4]); Phigaliae templum Apollinis *Ἐπικουρίου*[5]); Elide Apollinis *Ἀκεσίου* templum[6]); Troezenes Panis fanum *Λυτηρίου*[7]). Conferuntur ea quae Brunnius[8]) de his donariis disseruit. Equidem id solum commemoraverim ex iis ad illam luem referri non posse alia, quod artifices iamdudum artem suam non exercuerint, alia, quod regiones quae nominantur peste prorsus non vexatae sint. Omnia igitur, quae ad pestem illam Atheniensem dicuntur spectasse, immerito huc referuntur. Quamquam ea post alias lues restinctas dedicata esse potest concedi. Locustis depulsis Phidiam Apollinis *Παρνοπίου* statuam finxisse, quae in Atheniensium arce stabat, auctor est Pausanias[9]), qui, ut est rerum gravissimarum saepe neglegens, utrum haec statua publice an privatim dicata sit non tradit. Sola igitur coniectura eam ex aerario publico expensam esse possum consequi. Post siccitates longi temporis sepositas Athenis in arce statua *Γαίας* supplici gestu a Iove pluviam petentis posita est[10]). Si eum titulum, qui C. J. A. III, 1 n. 166 extat, huic attribuere statuae

---

1) Paus. X, 11, 5.
2) IX, 22, 1.
3) schol. Arist. Ran. 504; Tzetz. Chil. VIII, 191.
4) Paus. I, 3, 4.
5) VIII, 41, 7. 8.
6) VI, 24, 6.
7) II, 32, 6.
8) I, p. 66—68.
9) I, 24, 8.
10) Paus. I, 24, 3.

possumus, anathema Hadriani aetate ortum est[1]). Haec sunt donaria, quorum auctores e calamitate quadam se expediverant. Accedunt donaria, quae ad calamitates nondum sepositas, sed aut instantes aut futuras spectant. Spartae cum Eurotas flumen super ripas effunderetur ex oraculi responso fanum Iunonis *Ὑπερχειρίας* dicitur conditum esse[2]). Epidaurii[3]) ne diutius infertilitate humi opprimerentur domi statuas *Δαμίας* et *Αὐξησίας*, Phliasii[4]) ne vites oriente Caprea vexarentur capream dedicaverunt aheneam. Ne poenis deorum afficerentur Lacedaemonii statuas Pausaniae duas, quia caedes ab eo perpatrata mansisset inexpiata, oraculi Delphici iussu prope ad Minervae *Χαλκιοίκου* templum collocaverunt[5]). Simili consilio metoeci Athenienses in arce aram *Ἀντέρωτος* qui vocatur daemonis[6]) condiderunt. — Omnia anathemata, quorum dedicatio cum incommodis aut sublatis aut prohibendis cohaeret, in eo consentiunt, quod pro commodis quoque acceptis accipiendisve quodammodo videntur dedicata. Restant autem donaria duo, in quibus dici potest solum de commodis. Siphnii[7]) e parte decima lucri, quod fodina auraria sumpserant, Delphis aedificaverunt thesaurum. Corcyraei[8]) pro bono piscatu taurum aheneum Delphis, Olympiae alterum dedicaverunt; taurus enim mugitu locum largae praedae denotaverat.

---

1) Cf. Ernesti Kuhnert opusculum „Statue und Ort" (Jahrb. f. cl. Phil. 1884) p. 276 adn. I: „Die Statue wird aber sicher viel älter sein: Paus. hätte es wohl ausdrücklich bemerkt, wäre sie ein Werk seiner Zeit gewesen; auch müsste dann noch der Anlass der Weihung zu erfahren gewesen sein."
2) Paus. III, 13, 8.
3) Herod. V, 82.
4) Paus. II, 13, 6.
5) Paus. III, 17, 7—9.
6) I, 30, 1.
7) Herod. III, 57; Paus. X, 11, 2.
8) Paus. X, 9, 3. — V, 29, 9.

2. Secundo persequamur loco hominum statuas publice locis sacris positas. Quin hae Graecis honorem et hominum, quibus ponebantur, et deorum, in quorum fanis stabant, una complecti viderentur, non dubitaverim. Ut autem verbis utar aliis, illis statuis honorariarum et anathematum attribuebatur coniunctio. Nobis quidem recentioribus haec displicet. Neque enim contraria duo illa esse coniuncta possumus existimare. Et hoc loco conferantur, quae Kuhnertius locis libelli modo[1]) laudati duobus[2]) disseruit. Hi loci inter se dissentiunt. Mea igitur sententia, ut repetam, est Graecis hominum statuas publice locis sacris positas complexas esse una honorem et divinum et humanum. Exempla ad afferenda nunc accedo. Neque autem quin compluria ab aliis[3]) enumerata repetam facere possum. Alia ipse supra, ubi de anathematis ad bella spectantibus agitur, laudavi. Vetustissima exempla — ut de statuis Cylonis[4]) et Cleobis Bitonisque[5]) taceam — quinto a. Chr. saeculo attribuenda sunt. Sunt statuae hae:

Athenis Xanthippi[6]) et Phormionis[7]) ducum.

Delphis Daiphantae Rhoei Miltiadis Lysandri aliorum[8]) ducum, Telliae vatis, Scyllidis Hydnaeque.

1) p. 31 adn. 1.

2) p. 264: „Die Errichtung von Statuen hat den Hauptzweck, immerwährend an die Verdienste des Geehrten zu erinnern" et p. 279: „Die Statue, welche einer Gottheit als Anathem dargebracht wird, soll doch in Wahrheit nicht den dargestellten Menschen, sondern klarer Weise allein die Gottheit ehren."

3) H. Köhler, Ges. Schr. VI p. 308—313; Kuhnert l. l. p. 268 et 269.

4) Cf. Kuhnert p. 278.

5) Dütschke in diar. „Arch. epigr. Mitth. aus Oest." 1883 p. 153 bis 159; Kuhnert p. 279 adn. 2.

6) Paus. I, 25, 1.

7) supra p. 19 adn. 10.

8) p. 21 adn. 2.

Ephesi Lysandri Eteonici aliorum[1]) Cononis Timotheique[2]) ducum.

Olympiae Lysandri[3]) Alcibiadis[4]) Hieronis[5]) et puerorum triginta quinque cum magistro et tibicine, qui navigio perierant omnes[6]).

Plataeis Arimnesti ducis.

Syracusis Gelonis[7]).

E saeculi quarti statuis gravissimae sunt hae:

Ephesi Pharacis ducis[8]).

Messenes Epaminondae; una erat in Hierothysio[9]), in Asclepieo altera.

Olympiae Archidami regis[10])

Tertio saeculo adscribantur oportet hae:

Antiochiae Seleuci Antiochique Epiphanis[11]) regum.

Athenis Olympiodori ducis[12]).

Coroneae Antiochi regis[13]).

Deli Oaxii cuiusdam[14]) et Callicratis Samiorum nauarchi[15]).

1) Paus. VI, 3, 15.
2) VI, 3, 16.
3) VI, 3, 14.
4) VI, 3, 15.
5) VI, 15, 6.
6) V, 25, 3. 4.
7) Ael. v. h. VI, 11; XIII, 37.
8) Paus. VI, 3, 15; cf. Bullet. VI p. 153.
9) Paus. IV, 32, 1.
10) Paus. VI, 4, 9; 15, 7.
11) Liban. 61, 335.
12) una erat in arce, in prytaneo altera.
13) Liv. XXXVI, 20.
14) Bull. IV p. 350.
15) l. l. p. 325.

Delphis Olympiodori Patronis[1]) Philopoemenis [2]) Eurydami Polyarchi Polyphronis Lacratis Aleximachi ducum.

Ilii Antiochi regis Σωτῆρος[3]).

Megalopoli Diophanis[4])

Olympiae Demetrii regis Antigonique filii[5]) Philhetaeri[6]) Cylonis Dropionis[7]) Arati[8]).

Saeculo secundo ortae sunt hae statuae:

Athenis Ptolemaei Philometoris[9]).

Deli C. Ofellii Feri cuiusdam[10]) Ammonii sacerdotis[11]) Epigenis[12]) Diogenis[13]).

Delphis Q. Cosconii cuiusdam[14])

Elide Attali III regis[15]).

Olympiae Polybii[16]).

Pergami Attali iuvenis, postea nominati secundi[17]).

---

1) Paus. X, 33, 3.
2) Plut. Philop. 10.
3) C. J. G. II, 3595.
4) Paus. VIII, 30, 5.
5) Paus. VI, 15, 7.
6) Diar. arch. 1878 n. 194.
7) Diar. arch. 1877 n. 37.
8) Paus. VI, 12, 5.
9) C. J. A. II, 464.
10) Bull. V p. 391.
11) l. l. p. 463; cf. III p. 372.
12) Bull. IV p. 220.
13) l. l. p. 221.
14) Bull. VI. p. 448 n. 77.
15) μουσ. καὶ βιβλ. 1880 p. 140 n. 186.
16) Diar. arch. 1878 n. 112.
17) Ulrichs l. l. n. 17.

Ad primum a. Chr. saeculum pertinent hae:

Deli Iuliae Caesaris filiae[1])

Delphis Nicopolitani civis, cuius nomen non iam extat[2]).

Olympiae P. Alphii Primi[3]) Augusti[4]) C. Servilii Vatiae[5]) Q. Anchariae[6]) Polybii[7]).

Perges Alexandri sophistae[8]).

Hactenus de statuis ante Christum natum positis. Complures quoque post Christum dicatae extant. Primo p. Chr. saeculo statuas attribuerim has:

Cnidi sacerdotis cuiusdam[9])

Delphis Marcelli Claudii[10]), Andronici Thessali[11]).

Olympiae M. Maecilii Rufi[12]), Antimachi Atheniensis[13]), Cleogenis Argivi[14]).

Ad secundum spectant saeculum hae:

Athenis Trebellii Rufi[15]) et Hadriani[16]).

Deli Traiani[17]) et Hadriani[18]).

---

1) Bull. IV p. 443 n. 26.
2) Bull. VI p. 450 n. 80.
3) Diar. arch. 1878 n. 38.
4) l. l. 1877 n. 33.
5) 1878 n. 113.
6) n. 114.
7) 1877 n. 101.
8) Philostr. vit. Apoll. II, 7.
9) Lebas III, 1572.
10) Bull. VI p. 449 n. 78.
11) l. l. p. 450 n. 81.
12) Diar. arch. 1879 n. 263.
13) 1878 n. 170.
14) n. 139.
15) C. J. A. III, 1 n. 623, ubi ut eius statuae in omnibus urbis templis ponerentur decretum est.
16) Eius erant ibi statuae permultae, una in Parthenone (Paus. I, 24, 7), in Jovis Olympii templo ceterae (I, 18, 6; cf. E. Kuhnert, de cura statuarum apud Graecos 1883 p. 23).
17) Bull. IV p. 428 n. 7 = C. J. G. 2178.
18) Bull. IV. p. 429 n. 9. 10.

Olympiae Gorgili Elei[1]), Antoniae Cleodices[2]), Traiani[3]), Hadriani[3]).

E statuis tertii commemoraverim has:

Olympiae T. Flavii Polybii sacerdotis[4]).
Samiae in Lemni urbe C. Vibii[5]).

Quod attinet denique ad quartum saeculum, multarum Iuliani[6]) statuarum lectorem admonuerim.

Haec sunt exempla quae memoratu mihi videntur dignissima. Mirari licet a tertio a. Chr. saeculo ineunte novum quasi statuarum genus nasci, quod a saeculorum V et IV plane sit alienum. Etenim omnes fere horum saeculorum statuae ob honorem eorum qui vel duces vel milites in re militari floruerunt dedicabantur: unum alius generis restat exemplum, statuae puerorum navigio mortuorum. Neque autem hoc exemplum ab illis ad bella spectantibus abhorret. Omnibus enim aliquid sancti, ut ita dicam, commune esse contenderim. Hoc loco admoneo lectorem, quod post bella bene peracta Graeci piissimis erga deos animis erant affecti; illos pueros periisse cum ad legationem missi essent votivam constat. Omnibus, ut repetam, saeculorum V et IV statuis commune est aliquid sancti. Id est, cum hominum honore una complectebantur honorem deorum. Quin etiam quispiam in iis divinum honorem praevaluisse dixeritaut eas positas esse, ut Pausaniae[7]) verbis utar, τιμῇ τῇ ἐς (sive πρὸς) τὸ θεῖον. Ab ineunte saeculo III a. Chr. ut, iam dixi, novum quasi statuarum genus nascitur: nobis occurrunt statuae regum, tyrannorum, privatorum, qui rei-

1) Diar. arch. 1878 p. 41 n. 122.
2) 1877 n. 66.
3) Paus. V, 12, 4.
4) Diar. arch. 1877 n. 102.
5) Bull. VIII p. 467.
6) Liban. or. XVIII.
7) V, 21, 1; 25, 1.

publicae unquam bene fecerant aut fecisse videbantur. Id est, a saeculo tertio in statuis hominum locis sacris positis sanctum illud magis magisque evanescere coepit. Praevalebat autem honor humanus: statuae, ut rursus Pausaniae[1]) utar verbis, ponebantur potius τιμῇ τῇ ἐς αὐτοὺς χάριτι quam τῇ ἐς τὸ θεῖον. Neque autem unquam illa coniunctio desiit prorsus. Et novissimis ipsis temporibus hominum statuae locis sacris publice positae aliquid sancti et inlaesi prae se ferebant. Statuae enim mere, ut ita dicam, honorariae semper positae sunt locis profanis[2]).

Sic gravissima e publicis iisque extraordinariis anathemata a me allata esse puto. Priore perlustravi loco donaria omnia quae ad incommoda sublata tollendave et commoda accipienda accipiendave spectant. Quibus anathematis omnibus est commune, ea deorum modo honorem respexisse. Deinde secundo loco veni ad statuas hominum sacris locis positas. Eas ob honorem et deorum et hominum, modo humano modo divino praevalente, dedicatas esse satis mihi exposuisse videor. In alias quaestiones[3]) inquirere nolo, cum in hac dissertatione solam eam „qui anathematum Graecorum esset usus" mihi proposuerim. Quamobrem occasionum, unde anathemata duxissent originem, habui rationem.

2. de privatis.

Restat, ut ex anathematis extraordinariis ea quae privatim dedicata sunt perlustrem.

1) V, 25, 1.
2) Cf. Kuhnert l. l.
3) Nonnulla perstrinxi supra.

1. Incipio a donariis ad amorem coniugiumque pertinentibus sive, ut breviter dicam, a vita connubiali. Moris, qui nullo tempore intermisso per totam Graeciam pervulgabatur, vetustissimi videtur fuisse, a virginibus paullo antequam in matrimonium ducerentur oblectamenta, praesertim pupas[1]), Dianae aut Minervae, id est deabus virgineis, donari. Cf. Anth. Palat. VI, 202. 280 et ea quae O. Iahnius ad Pers. sat. II, 70 disseruit. Sed alia quoque dona a virginibus dedicata esse memoriae proditum est. Argis crines suos in Minervae templo[2]), Megarae in Iphinoes sepulcro[3]) deponere simulque zonam dedicare Minervae Ἀπατουρίας[4]) solebant virgines in matrimonium ducendae. Neque autem aliud unquam mihi egisse videntur nisi id, ut e pristinis ludis excessurae et graviora officia subiturae animos earum dearum, quas sequentes usque vixissent, placarent.

Sequuntur anathemata cum nuptiis ipsis arctius cohaerentia. Et primum quidem exempla mythicae aetatis afferam. Pelops, in matrimonium ducturus Hippodamiam, Temni statuam Veneris[5]) et, postquam res bene evenit, myrtum virentem[6]) consecrasse dicitur. Ulixi, simul cursus certamine Penelopen sibi comparavit, tria Minervae Κελευθείας fana intervallis disiuncta statuaque deae una attribuuntur. Menelaus, iterum cum Helena uxore coniunctus, statuas Themidis[7]) et Praxidices dedicavit in Veneris Μιγωνίτιδος templo, quod, situm ad Gythium, a Paride adultero cum Menelai lectum conquinasset conditum esse dicebatur[7]). Ad

1) κόραι.
2) Stat. Theb. II, 253.
3) Paus. I, 43, 4.
4) II, 33, 1.
5) V, 13, 4.
6) III, 12, 4.
7) Sic lego, Kuhnertium (Jahrb. f. class. Phil. 1884 p. 252 adn. 3) secutus lectione Θέτιδος abnuta. — Paus. III, 22, 2.

hoc legas velim quae dixit Kuhnertius[1]). Liceat mihi simile quoddam exemplum addere. Ab Hypermnestra, quae, a Danao patre ob Lynceum servatum in ius vocata, absoluta esset, Argis statua Veneris dicitur deposita esse in eodem templo, quod antea pater consecraverat Apollini Λυκίῳ[2]). Eadem eodem loco fanum Dianae Πειθοῦς[3]) narratur condidisse. Denique ad coniugium spectat statua Pudicitiae (Αἰδοῦς) prope ad Spartam posita. Eam enim ab Icario, cum Penelope filia Ulixi nupsisset, dedicatam esse Pausanias[4]) est testis. Haec sunt anathemata aetati mythicae attributa. E donariis historiae fide comprobatis hic manus illas votivas, in quibus duae personae super aram manus inter se iungentes exaratae sunt[5]), commemorandas esse puto.

Aliud donariorum genus ad liberorum et partus[6]) et bonam valetudinem pertinet. Ad Phaedram referuntur statuae Ilithyiae duae Athenis collocatae[7]), ad Helenam fanum eiusdem deae Argis conditum[8]). Mulieres Eleae, cum perdiu liberis caruissent, tandem gravidae domi templum Minervae Μητρός[9]) condiderunt. Complures quoque manus votivae huc spectant, sub quarum radicibus puerpera cum infante lactente potest conspici[10]). Ut autem iam dixi, donaria extant etiam ad liberorum bonam valetudinem spectantia. Titanes matres statuam Hygieiae ut sanitatem liberorum impetrarent crini-

1) l. l. p. 252: „Eine ungewöhnliche, in Griechenland durchaus beispiellose Impertinenz, die unzweifelhaft nur in den Hirnen von Exegeten ausgeheckt sein kann.“
2) Paus. II, 19, 3. 6.
3) II, 21, 1.
4) III, 20, 10.
5) Cf. O. Jahn in diar. „Sitzber. Sächs. Ges.“ 1861 p. 101 m.
6) Cf. Bartholini, de puerperio veteri (1676).
7) Paus. I, 18, 5.
8) II, 22, 7.
9) V, 3, 3.
10) Cf. O. Jahn l. l. p. 101. 102. 104.

bus suis solebant redimere. Ita factum est, ut paullatim vix quidquam statuae posset cognosci.[1]) Accedunt multi tituli, ubi a mulieribus aliquid Ilithyiae aut Hygieiae dicari legimus; hi tituli plerumque in ectypis inveniuntur.[2])

In fine huius partis anathemata commemorentur meretricum. Polyxena quaedam speculum Iovi dedicavit Dodonaeo.[3]) Quamquam autem hoc unum exemplum titulo reperto notum nobis est, morem specula deo aut deae alicui dedicandi latius valuisse persuasum mihi est. Atque ex epigrammatis nonnullis, quae in Anthologia legimus[4]), potest conici, meretrices speculum suum, quo semet crebro contemplatae erant, exstincta venustate ac pulchritudine deis, qui eas impertissent sibi, dedicasse aut potius reddidisse. Per se patet plerumque Venerem illo dono esse donatam. Polyxena autem illa aut prope Dodonam habitavit aut eo iactationis processerat, ut in numero eorum qui templum illud sacerrimum locupletabant donis haberi vellet. Neque autem multo post — titulus Polyxenae ineunti saeculo V a. Chr. attribuendus est — duarum meretricum, quarum nomina totam per Graeciam pervulgabantur, donaria originem duxerunt. Sunt Rhodopis et Mnesarete. Illa Apollini Delphico, dum pulchritudine florebat, ferrea verua[5]) quasi lucri scripturam tradenda curavit. Mnesarete, quae postea sibi ipsa propter pallorem cognomen indidit Phrynes, suam ipsius statuam auream[6]) dedicavit Delphis. Quam statuam Crates philosophus[7]) dixit inter reges ducesque tam insignes quasi signum intemperantiae per Graeciam diffusae extare. Ut Crates, ita Plutarchus quoque ipse a se

1) Paus. II, 11, 6.
2) Cf. Mitth. arch. Inst. III p. 197.
3) Carapanos, Dodone p. 45 n. 15.
4) VI, 1. 18—20. 211.
5) Herod. II, 135; Plut. Pyth. orac. 14.
6) Plut. l. l. 15.
7) Ael. v. h. IX, 32.

improbari eam statuam profitetur. Sed quin pontifices[1]), verecundia quaque posthabita, ad aurum Phrynarum accipiendum nimis propensi fuerint, dubium non esse potest. Eadem meretrix Cupidinem illum praeclarissimum, quem sibi Praxiteles donaverat, Thespiis[2]) dedicavit.

2. A vita coniugiali sive, ut repetam, a donariis ad amorem coniugiumque pertinentibus accedo ad varia hominum studia. Primum spectant donaria multa ad vitam rusticam. More institutoque maiorum Graeci, ut sterilitatem fructuum vel agrorum prohiberent, in arboribus Baccho sacris oscilla quae vocantur suspendere solebant.[3]) Haec consuetudo usque ad longinquissima aetatis paganae tempora retinebatur.[4]) Item nunquam defuere, qui quotiesumque messem vel facturi erant vel fecerant deis dona obferrent. Ex epigrammatis[5]) potest conici, dona fuisse aut partem messis[6]) aut ea vestimenta quibus in messe colligenda usi erant homines. Locis nonnullis alia quoque nobis occurrunt. Athenis in Parthenonis inventario fascicula spicarum auro expressarum[7]) leguntur. Deli in insula compluribus deinceps annis *Μαψιχίδαι*, i. e. ii qui erant tribules, in Apollinis templo deposuerunt unam, interdum duas pateras.[8]) Recte mihi in hanc rem Homolle[9]) inquisivisse videtur dicens, illos principio terrae fruges dedicasse ac deinceps, cum sacerdotes eas mox interituras esse dixissent, donis illis firmis ac mansuris compensavisse. Nunc pauca dicam de quaestu piscatorio. Piscatus si feliciter evenerat,

1) Cf. Kuhnert l. l. p. 258.
2) Strab. IX p. 410; Athen. XIII p. 591 A.
3) Cf. Poll. onom. IV, 131 v. *αἰώρα*.
4) Cf. Boetticher, Baumcultus der Hellenen.
5) Anth. Pal. VI, 21. 41.
6) Cf. Bull. VII p. 397 sqq.
7) C. J. G. I, 139 v. 9; cf. Boeckh. Staatsh. II² p. 152.
8) *σκάφιον*.
9) Bull. VI p. 145 cum adn. 2.

piscatores propter gratias deis referendas dona quaelibet dedicabant. Dona autem erant plerumque instrumenta piscatoria, si epigrammata Anthologiae[1]), id quod iam saepe fecimus, sequimur. Ut autem piscatores quaestu habito dedicabant, ita cum ad senectutem pervenissent[2]) instrumenta, quibus non iam uterentur, deo alicui donabant. Alia donaria spectant ad artes litterasque. Discipulos propter gratiam una et magistris et deis referendam studuisse ut aliquid in perpetuum dedicarent, per se potest intellegi. Quid autem aliud tam idoneum erat nisi statuae magistrorum deo cuidam consecrandae? Et id genus exempla nobis tradita sunt. Ab adulescentibus Atheniensibus in Piraeo statuae Artemonis[3]), Dionysii[3]), Philhetaeri[3]) Musis consecratae sunt.[4]) Athenis ipsis ab Attalo II et Ariarathe V statua Carneadis philosophi[5]), qui docuit se praecepta Academicorum, dedicata est. Huic loco duo Anthologiae exempla inserantur. Puer quidam, cum condiscipulos arte scribendi superasset, Musis consecravit statuam senis, qui fuisse magister videtur.[6]) Alterum ad puerum, petentem ut sibi facilitas discendi concedatur, Bacchi statua ob Musarum honorem posita refertur.[7]) Eurydice quaedam, postquam ad summam iam senectutem provecta didicit litteras, Musis donavit coronam.[8]) Omnibus igitur exemplis ad litteras pertinentibus id est commune, de anathematis quae Musis donabantur solis agi. Id quod facile potest intellegi.

1) VI, 23. 24. 33.
2) VI, 4. 5. 25—30. 38.
3) Bull. VII p. 76. 77.
4) De ceteris magistrorum statuis, quas a discipulis extructas esse tituli docent, tacere licet, quia non deo consecratae, sed honorariae sunt.
5) U. Koehler, Mitth. A. J. V. p. 284—286.
6) VI, 308.
7) VI, 310.
8) Plut. de puer. educ. 20; Koehler, Ges. Schr. III p. 88.

Exempla quae spectant ad artes sunt haec. In Apollinis Delphici templo solium, in quo sedens Pindarus hymnos Apollineos cecinisset, ab exegetis ostendebatur.[1]) Quamquam de illius genuitate dubitari potest. Simili modo tripus ille, qui Hesiodo, postquam e certamine cum Homero habito superior evasit, dono datus esse dicitur, propior est fabulae quam historiae.[2]) Sed causa non est, cur anathemata addubitem haec. Aristomache[3]) poetria, postquam Pythiis vicit, libellum suum Apollini donavit Delphico. Nero in Iovis templum, quod erat Olympiae, coronas misit quattuor.[4]) Has autem ad poetices ludicra referendas esse, verisimile mihi videtur. A poetice accedo ad musicen. Ardalus[5]), postquam invenit tibiam, Musis fanum et aram iisdem una cum Somno Troezenes dicitur condidisse. Ad Hegeleonem[6]), postquam salpinga a Tyrseno patre inventam ipse reddidit perfectiorem, Minervae fanum Argis situm refertur. Architecturae quoque et plastices mihi occurrerunt exempla. Decimi Cossutii[7]), qui Athenis Olympieum exstruxerat, statua intra templum extabat. Haec statua e Kuhnertii[8]) sententia dedicata est ab homine privato: fortasse ab illo ipso id factum esse coniecerim. De plastis idem nobis traditum est his. Chirisophus[9]) Apollini Tegeatico, postquam dei statuam sculpsit, Xenophilus et Straton Argivi[10]) Aesculapio, postquam deum Hygieiamque effinxerunt, suas ipsorum statuas consecraverunt. De Bathycle Magnesio

1) Paus. X, 24, 4.
2) Hes. opp. 650 sqq.; Paus. IX, 31, 3; Gell. n. a. III, 11.
3) Plut. conviv. V, 2.
4) Paus. V, 12, 7.
5) II, 31, 4. 5.
6) II, 21, 3.
7) C. J. G. I, 363.
8) loco saepius laudato p. 260.
9) Paus. VIII, 53, 7. 8.
10) II, 23, 4.

simile narratur. Ectypa enim ipsius sociorumque throno Apollinis Amyclaeo adfixit[1]) et dedicavit, si fidas Pausaniae[2]), statuas Gratiarum et Dianae Λευκοφρύνης.

Nunc persequar donaria eorum qui munus publicum susceperant. Et in hac quidem dissertatione duorum modo, archontium et agoranomorum, rationem habeo.

Incipio ab archontibus. Antiquissima exempla saeculo VI a. Chr. attribuenda sunt. Hoc enim saeculo Arcesinae in Amorgi urbe Sondrus et Pisander aram[3]) et Athenis Pisistratus, tyranni illius notissimi nepos, item aram[4]) consecraverunt. Hunc id fecisse, postquam munere iam functus est, constat. Sed illi quando dedicaverint aram, non intellegitur, cum propter vocabulum „ἄρχοντες" esse possint aut magistratum ineuntes aut iam administrantes aut eo functi. Saeculo V Areopagitae Athenienses, quos fuisse archontes scimus, in arce dedicaverunt taurum aheneum. Qui, si recte censet E. Curtius[5]), referendus est ad bella Persica. Circa idem tempus collegium archontium novem Atheniensium, cum moenia Piraei exstrui coepta essent, statuam dedicavit Mercurii.[6]) Saeculo IV Anticrates Atheniensis, munere thesmothetae functus, coronam dicavit.[7]) Posterioribus temporibus orta sunt nonnulla anathemata, quae cuius generis fuerint hodie explanari non potest. Huc refero anathemata archontis cuiusdam eponymi[8]), qui vixit Augusti aetate, polemarchi cuiusdam[9]) et regis cuiusdam[10]), qui vixerunt Traiani aetate. Trium horum Athenis

---

1) Cf. Brunn I p. 57.
2) III, 18, 6.
3) Bull. VI p. 189.
4) Thuc. VI, 54; C. J. A.; cf. E. Curtius in diar. „Hermes" X.
5) Nachricht. v. d. Univ. z. Gött. 1861 p. 372.
6) C. Wachsmuth, Die Stadt Athen I p. 208.
7) C. J. G. I. 177.
8) C. J. A. III, 1 n. 88.
9) n. 91.
10) n. 95.

erant donaria. Cetera quoque omnia archontium anathemata, si computes, in hac urbe fuisse uno[1]) modo excepto invenies. Cur autem res se ita habeat, per se patet.

Neque minora sunt donaria agoranomorum sive, ut latine loquar, aedilium. De quibus G. Hirschfeldius[2]) tribus annis ante verba fecitquae respicias velim. Numero autem exempla attulit quattuordecim, quae hic enumerare longum est. His nonnulla adici possunt. Sed ceteris omissis[3]) unum modo commemoraverim: est statua Mercurii, quam Apelles aediis[4]) in foro Pergameno consecravit Nymphis; manu autem tenebat Mercurius Cornucopiam, ex qua ad horas distinguendas aqua stillabat. Nunc paucis verbis quaestiones de donariis aedilium universis habendas persequar. Quod attinet eorum tempus, a saeculo IV a. Chr.[5]) usque ad saeculum II p. Chr.[6]) inveniuntur; pleraque orta sunt sub finem saeculi I a. Chr. aut initio saeculi I p. Chr. Ii qui dedicabant ipsi se nominant aut ἀγορανόμους γενομένους, id quod ad magistratum modo initum mihi spectare videtur, aut ἀγορανομήσαντας, quo iam magistratu functi significari, aut ἀγορανόμους ὄντας sive ἀγορανόμους solum sive ἀγορανομοῦντας, id quod haud scio an pertineat ad eos qui magistratum capessiverant nondumque abdicaverant. E quibus vocabulis quodcumque legitur, semper agoranomi certe id agebant, ut memoriam muneris sui donariis propagarent ad posteros. Donaria inveniuntur maxime varia. Hic tamen ea enumerare nolo et relego ad Hirschfeldium. Id unum, quod l. l. p. 502 dixit, repetam, donaria aedilium

---

1) supra p. 44 adn. 3.
2) Zeit. f. d. österr. Gym. 1882 p. 502. 503.
3) In quibus ne id quidem perspici potest, quid dedicatum sit.
4) Conze Sitzb. Berl. Ak. 1884 p. 10. 11.
5) Exempli gratia affero Sicini et Halicarnassi donaria: cf. Hirschf.
6) Admoneo Gythii exemplum: cf. Hirschf.

aut cum munere ipso[1]) aut cum deis qui sint quasi muneris praesides[2]) arcte cohaesisse. Excipiendae esse videntur Cupidinis statuae, quas et Sardibus et Sagalassi invenimus dedicatas. Quae ratio inter has statuas et aedilium officia sive deos praesides intercesserit, exquirere non possum.

Hactenus de magistratuum donariis.

Iam vero anathemata, quae ad varia hominum studia pertinent, commemoratu dignissima a me allata esse spero.

3. In tertia hac parte ea contineantur donaria, quae causam habent casus vitae humanae varios. Atque incipio ab anathematis, quorum auctores e calamitate quadam se expediverant. Ex huius generis exemplis donaria ad bella pertinentia primo afferam loco. Hercules Hippocrate filiisque victis Spartae fanum Minervae *Ἀξιοποίνας*[3]) et Iunonis *Αἰγοφάγου*[4]), Elide expugnata in Arcadiae urbe quadam fanum Apollinis *Πυθίου*[5]) condidisse dicitur. Quin etiam Dryopes ipsos Phylamque regem victos Apollini consecrasse Delphico[6]) narratur. Abiae, Hylli nutrici, fanum Herculis, quod erat Irae[7]), attribuitur. Ad Theseum, postquam vicit Asterionem, templum, quod erat Troezenes, Dianae *Σωτείρας*[8]), ad Amazones Dianae *Ἀστρατείας* et Apollinis *Ἀμαζονίου* statuae[9]) Laconiae loco quodam positae referuntur. Hecubam, ut excidium Troiae impediretur, Minervae pretiosissimam e vestibus suis

1) Exempli gratia affero statuam illam Mercurii Pergami dedicatam: supra p. 45 adn. 4.
2) velut statuas Mercurii Erythris et Troezenes dedicatas: cf. Hirschf.
3) Paus. III, 15, 6.
4) III, 15, 9.
5) VIII, 15, 5.
6) IV, 34, 6. — Cf. Daremberget Saglio I v. *ἀπελεύθεροι*.
7) IV, 30, 1.
8) II, 31, 1.
9) III, 25, 2.

donasse Homerus[1]) est testis. Laodice, Agapenoris filia, bello Troiano confecto, vestem in Minervae *Ἀλέας* templo[2]) deposuisse fertur. Haec omnia exempla quamquam mythis obteguntur, tamen et ex Anthologiae epigrammatis et ex aliis fontibus morem post bella bene peracta aliquid dedicandi privatis fuisse cognoscimus. Quod attinet ad epigrammata, exempli gratia duo, quae extant in Anthol. VI, 2 et 9, attulisse satis mihi est. Accedo ad donaria aliis fontibus comprobata. Saeculo VI a. Chr. ortum est anathema, quod iam supra commemorandi occasio mihi data est: intellego statuam Hegelochi Atheniensis illam. Saeculo V attribuerim ectypon, quod homo quidam Atheniensis dedicavit Aesculapio. Liceat mihi titulum[3]) huius ectypi afferre; *σωθεὶς ἐκ τῶν πολέμων καὶ λυτρωθεὶς (ἐκ τῶν ἰδί) ων*[4]), *ἐλευθερωθεὶς ἀνέθηκεν.* Eodem saeculo Callias Atheniensis Delphos collocandum misit equum marmoreum[5]), Ctesylis quaedam pateram Apollini dedicavit Delio[6]) Equum illum ad bella Persica referri Pausanias tradidit: eandem originem vindicaverim paterae, quae Persarum capitibus ectypo expressis ornata esset. Fortasse statua quoque Diitrephis[7]) illa praeclarissima ad rem quandam militarem potest referri. Denique unum affero exemplum, quod multo posteriori tempori[8]) attribuendum est. Nicippe[9]) enim quaedam, postquam Augustus ad Actium vicit, Mantineae in urbe Romanis socia statuam dedicavit Veneris *Συμμαχίας*.

Secundo veniam loco ad donaria, quorum auctores

1) Il. VI, 269.
2) Paus. VIII, 5, 3; cf. II, 1, 7.
3) arch. diar. 1877 p. 152.
4) Cf. Demosth. p. 394, 18 *λελυτρῶσθαι ἐκτῶν ἰδίων.*
5) Paus. X, 18, 1.
6) Bullet. VI p. 152.
7) Paus. I, 23, 3. — Cf. Kuhnert l. l. p. 277.
8) Diitrephis statua est saeculi V.
9) Paus. VIII, 9, 6.

e morbis se expediverant. Athenis intra Aesculapii templum magnus numerus effossus est ectyporum, quae aut Aesculapio ipsi aut Hygieiae aut una duobus his dedicata sunt. Atque ex iis pleraque ad homines morbis sanatos spectant. Quod autem pleraque, non omnia dico, exempli gratia lectorem unius paullo ante[1]) laudati ectypi admoneam. Ectypa huc pertinentia nominatim afferre, longum mihi esse videtur[2]). Id unum addo, ea plerumque saeculo IV a. Chr. orta esse. Romanae quoque aetati numerus haud ita parvus potest attribui; ea extant in C. J. A. III, 1[3]). Alia ac Athenas loca id genus ectypis non caruisse et per se verisimile est et nonnullis confirmatur exemplis. Satis habeo attulisse ectypon, quod Coloes in Phrygiae urbe mulier quaedam, postquam diu ex pedibus laboravit, sanata dedicavit Dianae Ἀναΐτιδι daemonique qui vocatur Μὴν Τιάμου[4]). Neque autem modo ectypa, sed etiam alia donaria diis data sunt. Atque mos simulacra membrorum sanatorum sculpta dedicandi late videtur pervulgatus esse. Cuius moris testis extat Aristides[5]). Id genus simulacra cum aliis locis tum Athenis[6]) effossa sunt permulta. Neque raro in Museis Europae conspiciuntur, exempli gratia pedes nudi anguibus impediti vel marmorei[7]) vel ahenei[8]). Commemorem quaestionem simulacrorum multo ante in duabus dissertationibus[9]) tractatam esse: tamen eas legendi nulla mihi erat occasio.

1) p. 47 adn. 4.
2) Cf. Bull. I p. 156—169; II p. 65—94; diar. arch. 1877 p. 140 bis 157; Mitth. II p. 214—222.
3) n. 132. 134—138. 144. 181—185.
4) Bull. IV p. 128.
5) I p. 698.
6) Cf. Bullet. II.
7) Mus. Mant. I, 44.
8) Bonannimus. Kirch. cl. II p. 81, 6.
9) C. F. Pezold, de membris humanis diis gentium consecratis. — J. J. Frey, de more diis simulacra membrorum consecrandi.

De Epidauro nobis traditum est, eos qui morbum effugerant intra Asclepieum columnas dedicasse titulis praeditas. Harum Pausanias[1]) se vidisse sex contendit: una[2]) nuperrime effossa est. Aliis locis alia pro cuiusque voluntate ac facultate dona data esse scriptum videmus. Alyattes, rex Lydorum, quem anno 563 a. Chr. mortuum esse constat, craterem argenteum ferrea basi nisum misit Delphos[3]). Micythus olympiade octogesima una[4]), cum filius, cuius corpus ad ultimam tabem erat redactum, convaluisset, Olympiae dedicavit multarum seriem statuarum, quas invenies apud Pausaniam[5]). Sequente i. e. quarto saeculo Aspasiae, quam adamabat Cyrus minor, originem duxit anathema. Dedicavit enim Veneri[6]), quae specie per somnum columbae instar oblata remedium morbi sibi indicasset, statuam cum ave illa adsedente auream. Hominum quoque quorum nomen haud ita per Graeciam erat celebratum donaria nobis tradita sunt. Huc spectant: ara, quam Apollonius quidam Aesculapio consecravit Delio[7]); Aesculapii fanum, quod Naupacti condidit Phalysius[8]); statua viri cuiusdam a se ipso Megalopoli compluribus deis[9]) consecrata; basis[10]) sex medicinis instrumentis venisque duabus, quae in diptycho sunt evoluto, ornata. Haec non omnia, quae afferri possunt, exempla esse libenter profiteor.

Tot donariis eorum qui bonam valetudinem recupera-

1) Paus. II, 27, 3.
2) Cabbadias ἐφημερ. ἀρχ. 1884, 4: titulus tertii saeculi a Chr. est.
3) Herod. I, 25: ἐκφυγὼν τὴν νοῦσον.
4) Cf. A. Boetticher Olympia p. 318.
5) V, 26, 2. 3. Cf. Herod. VII, 170. De basi effossa vid. diar. arch. 1879 p. 150 n. 300.
6) Ael. v. h. XII, 1.
7) Bull. VI p. 343 n. 56.
8) Paus. X, 38, 13; cf. Mittheil. IV p. 22 sqq.
9) Bull. VI p. 194.
10) Diar. arch. 1877 p. 166 n. 86; cf. Ber. Sächs. Gesell. 1861 tab. IX, 10 et Bull. I p. 216 tab. IX.

verant unum modo, quod medicus una cum sanato dicavit, possum addere. Hoc donarium quale fuerit perspici hodie non potest: exstat basis titulo praedita dedicatorio[1]). Saepius, si fontibus est fides, factum est, ut medici soli aut ante medendi curam incipiendam aut post bene adhibitam donis deum adirent. Nicomachus Atheniensis ectypon consecravit Aesculapio[2]), Hippocrates, celeberrimus ille medicus, ossa ahenea Apollini misit Delphico[3]). Sphyrus[4]) quidam Argis, Titanes Alexanor[5]) Aesculapii templum condidisse, Athenis Mnesitheus[6]) statuas cum aliorum tum Iacchi dedicasse dicuntur.

Eorum qui periculis navigii liberati sunt multa suppeditant donaria, quae plurima quidem ad mythorum aetatem pertinent. Phrixus pellem illius notissimi arietis auream Colchide intra Martis fanum in fago[7]) aut quercu[8]) suspendisse traditur. Ad expeditionem Argonautarum donaria referentur haec: statua[9]) Apollinis Argeotae ad Coronen posita, templum Minervae *Ἀσίας*[10]) alibi Laconiae conditum, Argo ipsa[11]) Neptuno Isthmio dedicata. Sequuntur fanum Apollinis *Ἐπιβατηρίον*, quod erat Troezenes et attribuebatur Diomedi[12]), et navis gubernaculum, quod Agamemno donavit Iunoni Samiae.[13]) Quod autem ad Arionem delphino vehentem attinet, perspicuum mihi esse videtur, hoc opus sta-

1) C. J. A. III, 1 n. 186.
2) Bull. II p. 431 l. 17.
3) Paus. X, 2, 4.
4) II, 23, 4.
5) II, 11, 6.
6) I, 37, 3.
7) Apoll. Rhod. Argon. II fin.
8) Apollod. I, 9, 16; Serv. Verg. Georg. II, 140.
9) Paus. IV, 34, 4.
10) III, 24, 5.
11) Apollod. I, 9, 27.
12) Paus. II, 32, 2.
13) Callim. Dian. 228 cum schol.

tuarium, quod Taenari[1]) conspiciebatur, ab homine quodam privato multo post poëtae mortem memoriae causa collocatum esse. Hoc exemplo excepto duo modo, quae historiae fidem prae se ferunt, mihi occurrerunt. Eutychus quidam Deli aliquid dedicavit una Iovi *Οὐρίῳ*, Serapidi, Isidi, Anubidi, Harpocrati[2]) *ὑπὲρἑαυτοῦ και τοῦυἱοῦ Εὐβόλου καὶ ὑπὲρτῶν πλοϊζομένων πάντων*. Ex his verbis ipsis, ut mihi videtur, potest intellegi, Eutychum e naufragio servatum esse et servatum a diis auxilium simul pro ceteris nautis petiisse. Altero quoque exemplo Delum in insulam vocamur. Demetrius enim Sidonius ibi Anubidi dedicavit navis suae stegam[3]). Ut in priore exemplo ob personas, pro quibus auxilium petiit dedicans, ita hic naufragium consequar coniectura ob rem dedicatam.

Mentio quoque facienda mihi est eorum donariorum quae cum servis in libertatem vindicatis cohaerent. Aetate romana Lycius quidam *Μηνὸς Τυράννου* qui vocatur daemonis fanum condidit Laurii[4]), in Piraeo[5]) fanum eiusdem vir mulierque, quos cum et patris et demi nomen desideretur in titulo servos fuisse arbitror. Deli novem servi[6]), qui cognomen *Κομπεταλιασταὶ* sibi indiderunt, Compitalibus[7]) Fidis deae statuam diis, ut videtur Aegyptiacis, dedicaverunt. Id quod ex manumissione factum esse censeo[8]). Denique afferam pateras argenteas, quas ex aerarii Minervae Atheniensis inventariis cognovimus. Eas cum U. Koehlero[9]) Minervae dedicatas esse puto a servis in

1) Paus. III, 25, 7; Ael. n. a. XII, 45.
2) Bull. VI p. 328 n. 22.
3) Bull. VI p. 340 n. 47: *κατάστρωμα*.
4) C. J. A. III, 1 n. 73.
5) *Ἀθήν* VIII p. 294; cf. Bull. IV p. 130.
6) Bull. VII p. 13.
7) Dion. Hal. IV, 14.
8) Donarium ortum est anno 97/6 a. Chr.: cf. Bull. IV p. 190.
9) Mittheil. 1878 p. 172—177.

libertatem vindicatis. H. Schenkl[1]) quidem suspicatus est, pateras eorum donaria esse, qui iam pridem liberati tum demum dedicassent cum, propter officia erga patronos omissa vocati in ius[2]), absoluti essent. Quae sententia argumentis non ita stabiliri potest, ut eam amplectamur.

Donariis ad bellum, morbum, naufragium, servitium spectantibus cetera addam quorum auctores e calamitate quadam se expediverant. Cypselus, quem ad mortem expositum servari notum est, Delphis condidit thesaurum, ubi simul collocavit palmam aheneam[3]). Ad eandem causam referuntur Iovis statua[4]) et cista illa notissima[5]) quae conspiciebantur Olympiae in Iunonis templo. Themistocles, quem specie per somnum oblata mater deorum monuerat ut sicarios caveret, Magnesiae condidit deae templum[6]). Hic donaria peregrinantium commemorentur, qui itinere bene facto gratias diis referre solebant. Donaria autem sunt pedes tabulae marmoreae impressi, qui usque ad hoc tempus duobus modo locis, Lesbi[7]) et Deli[8]), reperti sunt. Eandem habuerunt causam pedes marmorei qui calceati et anguibus aliisve rebus impediti sunt[9]).

Haec sunt si non omnia, at plurima anathemata, quorum auctores e calamitate quadam se expediverant.

Continuemus donaria, quae causam habent casus vitae humanae varios. Restant venandi res et ludi gymnici. In casibus duobus his quamquam de periculis evitandis

---

1) Zeit. f. öest. Gy. 1881 p. 167—170.
2) cf. Harpocrat. v. ἀποστασίου.
3) Herod. I, 14; Paus. X, 13, 3. 4; Plut. conviv. 21; Pyth. or. 12. 13.
4) Paus. IV, 13, 1; V, 2, 4; Müller fr. hist. gr. IV, 288.
5) Paus. V, 17, 2.
6) Plut. Them. 30.
7) Conze, Reise auf der Insel Lesbos p. 31—34.
8) Bull. VI p. 327 n. 21; p. 336 n. 37.
9) Cf. Jahn, Sitzber. Sächs. Ges. 1855 p. 103 adn. 310.

sive evitatis potest dici, tamen praecipue de acceptis agitur commodis.

Ad venandi rem referuntur donaria haec. Meleager hastam suam Sicyone in Apollinis templo[1]) deposuisse, exuvias apri et arma sua ex arbore quadam suspendisse Atalante[2]) dicuntur. Eiusdem i. e. Calydonii qui vocatur apri dentes pellisque Tegeae in Minervae templo conspiciebantur[3]). Taygete Ceryniticam illam cervam consecrasse fertur Dianae[4]). Rursus, si vis, Anthologiae conferas epigrammata[5]): et ex iis morem post venationem deo cuidam aliquid, imprimis arcum, dedicandi in vita cotidiana pervulgatum fuisse potest conici. Atque adeo ea valebat consuetudo, ut narrarent, Actaeonem, cum feliciter venatus nihil dedicasset, Diana auctore a suis canibus dilaceratum esse[6]).

Neque autem quin donaria dicata fuerint praecipue Dianae quasi venationum praesidi dubium mihi esse videtur. Sed alios quoque deos non desideramus. Tertio a. Chr. saeculo Arsaces, rex Armeniorum, pardum ingentem, quem venans interceperat, Baccho consecravit Nysaeo[7]). Eodem tempore originem duxit Dropionis, Paeoniorum regis, anathema: dico bisontis caput aheneum, quod Delphis se vidisse Pausanias[8]) contendit. Ad bonum venationis cuiusdam eventum capita leonis et apri ahenea Apollini Pergameno sacra[9]) spectare mihi videntur: a quo et quando dedicata sint, nescimus.

Denique pauca addam de ludis gymnicis. Ut ab

---

1) Paus. II, 7, 8.
2) Stat. Theb. IX, 585.
3) Paus. VIII, 46, 1. 2; 47, 2.
4) Ael. n. a. VII, 39.
5) Cf. VI, 34. 35.
6) Diod. IV, 81.
7) Philostr. vit. Apoll. II, 1.
8) X, 13, 1.
9) Paus. X, 18, 5.

iis hominibus qui Olympia vicerint incipiam, hodie inter omnes fere constat, statuas victorum in Alti collocatas non tam anathematum quam honorariarum loco esse habendas[1]). Qua de causa? Quia in titulis Olympiae repertis iis qui aetati anteromanae attribuendi sunt, si exceperis poeticos nonnullos, nullum verbi ἀνέθηκε simil. invenitur vestigium: quod verbum in titulis inde ab aetate romana exaratis saepius legitur. Ut autem repetam, statuae Olympionicarum ante saeculum II a. Chr. medium anathematum loco a Graecis habitae non sunt. Mihi quidem mirum videtur, neminendum in hac sententia offendisse. Duae autem mihi sunt causae. Prior est: nonne verisimilius est illis statuis aetate anteromana ipsa aliquid fuisse sancti i. e. eas anathematum loco habitas, contra inde a Romanorum principatu solum ob hominum honorem collocatas esse? Altera: cur inter aetatis anteromanae titulos poeticos et prosaicos discrimen fuisse putandum est? Alio olim loco propius in hanc de Olympionicis quaestionem inquisiturum me esse spero. Hic id unum addo, victorum statuas, simul verbum ἀνέθησε simil. invenitur, attribuendas esse anathematis ad ludos gymnicos spectantibus. Nominatim eas afferre supervacaneum mihi videtur[2]). Sed alia quoque ac statuae ipsorum dona a victoribus dedicata sunt Olympiae. Huc pertinent currus illi a Gelone[3]) saeculo V, a Cynisca[4]) saeculo

---

1) Cf. Furtw., Mittheilg. V p. 29—32 . . . . „lediglich als Denkmale des durch den Sieg erworbenen persönlichen Ruhmes; und waren sie auch thatsächlich das Eigenthum des Gottes, in dessen Haine sie standen, so war doch das Motiv bei ihrer Aufstellung nicht etwa das, dem Gotte ein Geschenk darzubringen, sondern von einem Rechte des Siegers Gebrauch machend, den eignen Ruhm zu verkünden.“

2) Cf. Furtw. l. l. et G. Hirschfeld diar. arch. 1882 p. 98—104.

3) Paus. VI, 9, 4 sqq.; diar. arch. 1878 n. 186.

4) Paus. V, 12, 5; VI, 1, 6; diar. arch. 1879 n. 301.

IV, a Glaucone[1]) saeculo III dicati et thesaurus quem Myron[2]) Sicyonius septimo saeculo condidisse dicitur.

Haec admonuerim de anathematis Olympionicarum iis quae dedicaverunt Olympiae. In natura autem rerum mihi esse videtur, donaria quoque domi a victoribus dedicata inveniri. In numero eorum sunt haec: Argis duo Dioscurium ectypa ab Aeschylo[3]) quodam dedicata; Athenis duae tabulae ab Alcibiade[4]), postquam Olympia Pythia Nemea vicit, in pinacothece suspensae; ibidem Isocratis[5]) pueri statua in arce collocata, Calliae[6]) statua qui Olympia Pythia Isthmia Nemea Panathenaica vicerat; Spartae statua Euryleonidis[7]) feminae in Minervae *Χαλκιοίκου* templo posita.

Semel donarium e victoria Olympica dedicatum mihi occurrit, quod neque Olympiae neque domi conspiciebatur: dico statuam Graniani Sicyonii, quam Titanae in Asclepico vidit Pausanias[8]).

Olympionicarum donaria nobis tradita sunt, si computaveris, permulta. Attamen donariorum eorum quae ad alios ludos gymnicos spectant numerus extat parvus. Satis mihi est commemorasse statuam Epicharini[9]) in Atheniensium arce positam, quae haud scio an post victoriam Panathenaicam sit dedicata, et relegasse ad exempla quae leguntur C. J. A. III, 1 nn. 104—129.

Iam vero donaria quae ad casus vitae humanae varios

---

1) Paus. VI, 16, 9; diar. arch. 1881 n. 390; G. Hirschfeld, Zeit. f. d. oest. Gym. 1882 p. 170.

2) Paus. VI, 19, 1. Contra cf. A. Boett. Ol. p. 215.

3) C. G. J. I, 17 = Röhl n. 37.

4) Athen. XII p. 534 d.

5) Plut. Isocr. § 42; Furtw. l. l. p. 26 adnn. 3. 4.

6) Paus. V, 9, 3; VI, 6, 1; C. J. A. I, 419.

7) Paus. III, 17, 6.

8) II, 11, 8.

9) Paus. I, 23, 9; C. J. A. I, 376.

spectant gravissima a me allata esse spero. Accedo ad extremam partem.

4. Extremo persequar loco hominum statuas locis sacris privatim positas. Ne autem me repetam, respicias velim quae supra disserui. Hic medias in res ineam. Vetustissima exempla ante saeculum VIII a. Chr. statuenda sunt. Sunt parvulae illae statuae aheneae, quae Olympiae effossae et ab A. Furtwaenglero[1]) tractatae sunt. Temporibus tam remotis nullo alio loco nisi in Cypro[2]) consuetudinem deo cuidam imaginem suam ipsius consecrandi valuisse comperimus. In Graecia ipsa is mos inde a saeculo sexto a. Chr. latius fusus esse videtur. Sexto enim saesulo attribuenda sunt statuae hac:

Athenis Cylonis.

Deli Nicandrae[3])

Mileti aut potius prope ad Miletum cum hominum multorum tum Charis[4]) illius notissimi.

Sami Amasis[5]).

Quinto saeculo originem duxerunt statuae:

Athenis Epicharini[6]), Oenobii[7]), Pyris[8]), Isocratis, eius matris et materterae[9]).

Delphis Gorgiae[10]), Lysandri[11]), Phrynes[12]).

Eleuside Isocratis[9]).

---

1) Act. soc. Berol. 1879.
2) Cf. Ceznola-Stern.
3) Bull. IV p. 484.
4) Rayet, Milète tab. XXV.
5) Erant duo statuae: Herod. II, 182.
6) Supra p. 55 adn. 9.
7) Paus. I, 23, 9.
8) C. J. A. I, 403.
9) Plut. Isocr. 4.
10) Diar. arch. 1877 n. 54.
11) Plut. Lys. 8.
12) Athen. XIII, 591 B.

Thespiis Phrynes[1]).

Quarto attribuerim saeculo has:

Athenis Mnesimachi[2]), Theoxenidis[3]).

Ad saeculum tertium referendae sunt statuae:

Deli Antiochi Philopatoris[4]) et eius paedagogi[4]), complurium hominum privatorum[5]).

Saeculo secundo ortae sunt hae:

Argis Xenophili et Stratonis.

Athenis Carneadis.

Deli Antiochi III[6]), Antiochi IV[7]), Cleopatrae[8]), Ptolemaei Σωτῆρος II matris, multorum privatorum quos nominatim afferre longum est[9]).

Olympiae Arsinoes[10]) Alexandri Magni[11]), regis cuiusdam Lacedaemonii[12]), consulis cuiusdam Romani[13]).

E statuis primi saeculi a. Chr. commemoraverim:

Olympiae duorum virorum privatorum[14]).

Ad primum p. Chr. saeculum pertinent statuae:

Olympiae duorum hominum privatorum[15]).

Hadriani aetatem Purgoldius nuperrime vindicavit

---

1) Paus. IX, 27, 5.
2) Beulé l'acrop. II, 299 n. 2.
3) Ross, Arch. Aufs. I p. 173 n. 33.
4) Bull. IV p. 217/8.
5) Bull. V p. 456 nn. 4. 5.
6) Bull. III p. 360.
7) l. l. p. 362/3.
8) Bull. IV p. 223/4.
9) Cf. l. l. p. 212 adn. 2; VI p. 321 n. 7 etc. etc.
10) Diar. arch. 1878 n. 193.
11) 1879 n. 275.
12) 1878 n. 196.
13) 1879 n. 258.
14) 1877 n. 51; 1879 n. 238.
15) 1877 nn. 47. 96.

statuae Alexandri Magni, quae sub Jovis imagine ab homine quodam Corinthio dedicata est Olympiae[1]).

Brevi si respexeris, exempla statuarum privatim dedicatarum inveniuntur inde a saeculo octavo a. Chr. usque ad saeculum alterum p. Chr. Duo autem genera facile internoscuntur: alterum, ubi suam quisque statuam, alterum, ubi alius aliorum statuas dedicavit deis. Illius exempla generis per multa saecula inveniuntur sola: huius exempla non antea mihi occurrerunt nisi saeculo quinto a. Chr. Dico Isocratis statuas duas, quarum una erat dedicata ab Aphareo filio arrogato, altera a Timotheo amico; addo eas fortasse ortas esse quarto saeculo ineunte. Industria autem Cylonis[2]) statuam praetermisi, quae utrum ab ipso an ab amicis vel cognatis dedicata fuerit dubia sit. Ut igitur repetam, usque ad saeculum V exiens vel ad IV iniens suam quisque statuam deo cuidam consecrare solebat, inde ab hac aetate coepit mos statuas cognatorum et amicorum dedicandi percrebrescere. Illud igitur A. Boetticheri[3]) mihi comprobari videtur.

Sic anathemata extraordinaria privatim dicata perlustravi.

Iam vero respiciamus ad stadium, quod percurrimus. Perquisivi anathemata Graeca ordinaria et extraordinaria sive publica sive privata. Meminerit velim lector quaestionis, quam mihi in hac dissertatione proposueram tractandam. Quaestio autem erat, qui anathematum fuisset

1) Paus. V, 25, 1.

2) Idem valet de Xenophili, Stratonis, Cossutii statuis.

3) Ol. p. 169: „Hellenischer Sitte späterer Zeit entspricht der Brauch, der Gottheit sein eigenes Portrait zu weihen, nicht.“

usus. Quamobrem donaria secundum occasiones, unde duxerunt originem[1]) afferenda esse putavi.

Ordinariorum quidem occasionem semper unam eandemque fuisse cognovimus.

Attamen in extraordinariis quanta regnabat varietas! De ea accuratius hic disserere, ne repetam me, nolo. Id unum dico horum anathematum duo nobis occurrisse genera Prius ad donaria ante factum i. e. prohibendi vel saepius impetrandi causa dicata spectat, alterum ad donaria post factum i. e. expiandi vel saepius gratias referendi causa donata. Alterum autem hoc genus illi priori longe praevalere ex exemplis potest intellegi. Et id in rerum natura esse puto. Ante enim factum verisimile est et privatos et rempublicam plerumque in precando acquievisse et tantum raro preces auxisse donis. Dona autem, postquam deorum auxilio factum est aliquid, et reipublicae et privatis necessaria esse videbantur. Discrimen quod inter duo anathematum genera intercederet quamquam Graecis ipsis notum fuit, tamen nullo legitur loco explicitum suis vocabulis. At quispiam dixerit: nonne P. Foucartius[2]) donariis antea dicatis vocabulum ἐπαρχή, ἀπαρχή[3]) donariis postea dicatis vindicavit? Doctissimus ille vir quamquam id fecit, tamen ipse in vocabulo ἐπαρχὴ solum de donis frumentariis agi concessit. Huc accedit, quod in titulis dedicatoriis omnino non legitur. Aliter res se habet de vocabulo ἀπαρχή. Hoc et saepissime invenitur et cuiusvis speciei donariis post factum dicatis[4]) vindicatur. Sed qui terminis studet tech-

1) Magnum igitur numerum donariorum, quorum occasio potest nullo explicari modo, praetermisi.

2) Bullet. 1883 p. 397.

3) Cf. vocc. ἄποικοι et ἔποικοι.

4) Sive vim habet propiorem primitiarum (cf. Herod. I, 92) sive latiorem donorum (cf. Eurip. Andr. 150).

nicis, ei licet vocabulo ἐπαρχή de priore anathematum genere, de altero uti ἀπαρχή. Nos quoque Germani vocabula „Bittgabe“ et „Dankgabe“ possumus discernere.

Haec de anathematum Graecorum usu. Alias quaestiones, quae tractandae restant, in aliud differo tempus. Nonnullis supra locis hanc illam perstrinxi.

Theses.

1. Apul. met. V, 4 legerim: atque, ut est natura, rerum novitas per assiduam consuetudinem ei se commendarat.
2. In Theocriti idyllio I versus 30 et 31 e textu sunt eiciendi.
3. Discrimen est, utrum in titulis dedicatoriis, si complures aliquid dedicant, legitur coniunctio (καί) an praepositio (σύν, μετά).
4. Coniectura, quam Cobet (Mnemos. 1884, 1) ad Paus. I, 9, 3 (ἔστησαν pro ἔθηκαν) proposuit, repudianda est.

VITA.

Natus sum Franciscus Ziemann die XXIII mens. Mart. 1860 Regimonti patre Francisco, qui compluribus annis ante e vita decessit, matre Henrietta e gente Hermann, quam adhuc vivam colo. Fidei addictus sum evangelicae. Sex annos natus gymnasium adii Friedericianum quod inde a nona usque ad primam classem frequentavi. Initio anni 1880 A. Lehnerdtio directore maturitatis examen absolvi. Deinde in Academia Albertina philologiae et archaeologiae studiis per decem semestria incubui. Proseminarii per quattuor, seminarii philologici per duo semestria fui sodalis. Item interfui exercitationibus archaeologicis ab Hirschfeldio institutis. Docuerunt me viri illustrissimi hi:

Bezzenberger, Dehio, Friedlaender, Hirschfeld, Jordan, Ludwich, Quaebicker †, Rühl, Schade, Walter.

Quibus omnibus gratias ago, praecipue Gustavo Hirschfeld et Arthuro Ludwich.